DE

PHILIPPO MELANCHTHONE

REIPVBLICAE LITTERARIAE

REFORMATORE.

SCRIPSIT

CONSTANTINVS SCHLOTTMANN

THEOL. DR. ET PROF.

BONNAE

D. XIX. M. APRIL. A. MDCCCLX.

APVD ADOLPHVM MARCVM.

Inter Germanicos ecclesiae reformatores proximus Luthero locus Philippo Melanchthoni ab omnibus facile conceditur. Suscipiendis primis in ecclesia gubernanda partibus, quae post Lutheri mortem invito obtrusae sunt, impar viribus exstitit. Qua in tragoedia erroris humanaeque debilitatis nimias propemodum, ut humano more loquamur, poenas dedit, animae candidae integraeque conscientiae gloriam incontaminatam servavit. Proprium autem munus, illi iam superstite Luthero divinitus mandatum, et ad scholam et ad vitam pertinuit. Melanchthon enim cum evangelicam doctrinam severioris disciplinae forma proposuit, expolivit, defendit, tum ad gravissima negocia publica, ad synodos, ad visitationes, ad colloquia, prae ceteris adhibitus est. Quare, ut iure aliquis dixit, omni fere scenae, quae tunc ornabatur, vel praefuit, vel interfuit. Etiam Galliae atque Angliae reges, ut praesens consilia secum communicaret, efflagitasse constat.

Ad praestandas tantas res illum praeter singulare eius ingenium id maxime idoneum reddidit, quod inde a pueritia humaniorum artium studiis imbutus erat. Neque id rerum gestarum scriptores fugere potuit, qui, ubi de Melanchthone loquuntur, insignem hominis eruditionem atque summa de diversis doctrinis merita uno ore laudibus extollunt. Attamen si nos eum totius reipublicae litterariae reformatorem appellare auserimus, haud paucis nimium quoddam dixisse videbimur. Ne vero nos cum iis facturos esse existiment, qui ut praeceptoris Germaniae gloriam tueantur, ingenium eius immodico praeconio efferunt. Si enim theologiam spectamus, Philippi erat „dissoluta in suum ordinem contrahere, confusa recte distribuere, incertis locum et quasi

ius suum restituere, ambiguis proprietatem, obscuris definiendo et explicando lucem praebere.“ 1) Quae quamvis profecto magni facere conveniat, tamen cum divina atque creatrice ingenii vi, qualem in Luthero admiratus Melanchthon sibi ipse ne minime quidem arrogavit, illa non aequabimus. Et simile aliquid de omnibus, quae Melanchthon in ceteris humanae scientiae partibus egregia praestitit, nobis dicendum erit. Heroicis naturis, per quas ingentes interdum subitasque etiam artium doctrinarumque mutationes divinitus fieri monere solet, suo iure se ipsum non adnumerat.

Sed datur alia reformationis ratio, qua non ingenii heroico quodam impetu atque regia vi hominum animi abripiuntur et occupantur, sed quasi Orpheici cuiusdam cantus, per longa temporum spatia sonantis, suavissima harmonia alliciuntur, fascinantur, in melius mutantur. Eiusmodi reformationem, ad omnes litterarum disciplinas pertinentem, a Melanchthone profectam esse contendimus. Iam antea nimirum classicorum quae aiunt studiorum restitutores rempublicam quandam litterariam primi condiderant, id est liberum eruditorum hominum sodalitium, quod non externam vel ecclesiae vel civitatum auctoritatem sed proprias scientiae leges sequitur. Id vero inter Italos in eruditam ut ita dicam aristocratiam, a communibus praesentis vitae officiis laboribusque abalienatam et in recuperatis ex antiquitate ingenii thesauris nihil nisi subtiliorem voluptatem Epicureo more quaerentem atque aucupantem, magis magisque degeneraverat. Simul in eo paganismus quidam vel frivolus atque immundus vel saltem frigidus inoleverat et percrebuerat, qui, sacerdotali vestimento tectus, plus semel Romanae curiae negocia suscipere non dubitavit. Inter Germanos ii, qui Italorum vestigia prementes humaniores litteras colebant, cum religionis christianae studio eas coniun-

---

1) Verba Winshemii in oratione funebri. Corpus Reformatorum Vol. X p. 194.

gere nisi sunt. Sic dum manifestos ecclesiae abusus atque superstitiones caute sed ingenue castigarent, sensim illam sine dissidio reformatum iri sperabant. Horum omnium Erasmus Roterodamus, vir immortalis memoriae, et ingenio et auctoritate longe princeps erat. Cuius innumeri amici discipulique, quum in plurimas academias invasissent, iam aliquandiu victoriae certi esse videbantur. Sed recenti humaniorum studiorum ingenio prisca et ecclesiae et scientiae forma, qualis medio aevo viguerat, nimis contraria atque repugnans erat. Quod dissidium in academiis illis post longiorem vel breviorem pacem, sicubi forte mutua conniventia consopitum erat, semper eo gravius erupit.[1]) Vitebergae demum humaniorum illarum litterarum atque omnium, quae ad ecclesiam, rem publicam, communem vitam spectant, disciplinarum firma quaedam internaque concordia atque consociatio facta est. Cuius rei necessitas quum ubique terrarum sentiretur, universitas illa litteraria ab omnium fere Europae partium hominibus frequentata ad id gloriae fastigium pervenit, cuius memoriam notissimae tragoediae loco summus Anglorum poëta etiam mythicae fabulae inseruit. Inde ab illo tempore inter renovatam ecclesiam et universam humanam scientiam arctissimum foedus sancitum est, quod licet interdum ad utriusque partis damnum turbatum atque interruptum sit, tamen insita vi et interna quadam necessitate semper denuo in hominum mentibus emersit. Tale vinculum ut necteretur, Lutherus pro suo ingenio desideravit atque postulavit, ipse nectere non valuit. Melanchthonem ad id officium exsequendum quasi natum esse, ab initio perspexit. „Quidquid scimus“, inquit, „in artibus et in vera philosophia, illud debemus Philippo.“ Hunc igitur virum, ad cuius laborem, teste ipso Luthero,

1) Cf. Kampschulte, die Universität Erfurt in ihrem Verhältnisse zu dem Humanismus und der Reformation. 1. Theil.

tantae res referendae sunt, iure universae reipublicae litterariae reformatorem nominamus.

Talis vero Melanchthon non evasisset, si Erasmo similis, scholae vel privatae vitae umbra retentus ad gravissima reipublicae negocia pedem non movisset. Nam ad bene conflandum vinculum illud vitae et universae scientiae, quo simul vera diversarum doctrinarum unitas efficitur, opus erat luculenta ipsius publicae vitae consuetudine, e communis salutis flagranti studio profecta. Hanc experientiam quanti Melanchthon duxerit, litterae eius ostendunt ad Burchardum Vimariensem iuris consultum datae, qui postea dignitate et honoribus auctus Johanni Friderico electori eiusque filio gratissimas praeclarissimasque operas navavit et in rebus difficilibus atque duris fidem praestitit.[1] Is quum relicta academia Vitebergensi ad vitam aulicam transgressus Philippo pro acceptis beneficiis, praecipue vero pro consuetudine benigne concessa gratias egisset, hic iucundissimam sibi fuisse illam gratitudinis significationem respondit; etsi enim sua erga eum officia minora fuerint voluntate, tamen quod animus suus ei probetur se gaudere. Tunc pergens: „Ac cetera quidem, inquit, beneficia levia et vulgaria fuerunt. Sed si sermonum, consiliorum et sententiae communicationem de rebus maximis, de religionibus, republica, litteris, denique de omnibus vitae officiis, magni aestimas, fateor me tuo iudicio delectari. Nam et significatio fuit amoris summi ac veri consuetudo illa, et existimo te ex iis sermonibus et actionibus, quum interioris vitae meae totius spectator esses, non minus verae doctrinae hausisse quam ex illis ingentibus bibliothecis Iurisconsultorum, praesertim quum me non solum libri erudierint, sed usus etiam, quia interfuimus maximis rebus, quae in nostram aetatem inciderunt in Germania, et cum ingeniosissimis hominibus versati, cum insidiosissimis conflictati sumus. Quoties de

1) Cf. Camerar. vita Ph. Mel. ed. Hag. Com. p. 89.

omnibus controversiis collocuti sumus? Quoties veteres res gestas et eventus ex omni antiquitate collectos repetivimus et cum praesentibus rebus contulimus, non solum ut divinaremus de exitu sed etiam ut remedia requireremus? Quam multa de ceteris reipublicae partibus disputavimus? Quam multa praesagia nostra meministi? Ac spero te ad omnes vitae partes instructiorem esse factum iis nostris sermonibus, quod non solum veras de religione deque artibus sententias audieris, sed etiam quasi formam et aedificium reipublicae me monstrante contemplatus sis, quae principum virorum sint voluntates, quae in maximis rebus moderatio adhibenda sit, quo praecipue bonis viris consilia omnia dirigenda sint. In hac tanta philosophia, etsi meo me pede metior et intelligo quantum ab huius generis artifice absim, tamen me versari utcunque tu ipse testis es et fuerunt mihi ut ipse sapiens historicus inquit, *τὰ παθήματα μαθήματα*." [1])

Tanta igitur vitae experientia quasi excitatum et exercitatum est Melanchthonis ingenium. Id vero ipsum ad efficiendam magnam illam, de qua diximus, reipublicae litterariae reformationem duabus maxime dotibus ornatum erat, tum insigni, ut hoc verbo uti liceat, versatilitate atque volubilitate et ad diversissimas doctrinas sese applicandi facilitate, tum innata quadam suavitate et omnia ad consonam pulchritudinis mensuram unitatisque congruentiam vertendi arte. Capax illud diversissimorum studiorum ingenium iam in adolescentem, quum Tubingae degeret, omnium oculos convertit.[2]) Tanta in eo erat memoriae vis, tanta discendi celeritas, ut „discipulusne an doctor et professor prius esset" dubitandum censerent. „Nullam rerum cognitionem non

1) C. R. III 22 seqq. Apud Strobelium in: Nachricht von Melanchthon's sämmtl. Briefen, p. 172 seqq. (ubi ex Peuceri recensione plura mendosa recepta sunt.)

2) Cf. Heerbrand in oratione funebri Tubingae habita. C. R. X, 289. Camerar. l. c. p. 14.

attingendam putabat atque comprehendendam, undique quandam scientiae quasi possessionem quaerendam atque occupandam.“ Ad discendas linguas et totam philosophiam iuvenili ardore aggressus est. Non tantum theologiae sed etiam iurisprudentiae et medicae artis praeceptores studiose audivit. Singulas disciplinas tam feliciter tractavit, ut uni soli operam dedisse videri potuerit. Cunctas postea Vitebergae colere perrexit collegarum quorundam amicissimorum adiutus auxilio, quibuscum de diversissimis rebus, maxime etiam physicis, mathematicis, astronomicis, anatomicis, coniuncto labore egit, quorum interdum et lectionibus adesse non aspernatus est. Itaque paulatim universum omnium doctrinarum orbem, quatenus tunc temporis fieri potuit, amplexus, iure quodam in unaquaque non peregrinari sed habitare dicebatur. — Tot vero tamque variarum rerum coacervata notitia quominus ieiunus aridusque polyhistor evaderet, innata illa huic ingenio gratia prohibuit. Id quoque iam in adolescente agnovit Erasmus, gloriosa de eo praesagiens. „Quam non spem, inquit, de se praebet admodum etiam adolescens ac paene puer Philippus Melanchthon! quod inventionis acumen, quae sermonis puritas atque elegantia, quam verecunda regiaeque prorsus indolis festivitas!“ [1]) Recte Joachimus Camerarius, praestantissimus illius aetatis philologus, Atticum aliquid in Melanchthonis ingenio inesse ait. Natura a quadam granditate abhorrentem, illum iudicium voluntatemque convertisse ad curam potius versandi in quodam castigato et puro atque sano genere orationis, quam in sublimi et vehemente et cuius compositio operosa esset elaborandi. Non illum inanibus verbis quasi perstrepere, non a re proposita sermonem abducere, non aliena intexere, sed veluti intra suas ripas flumen orationis coërcere. Nihil inesse in hac fucatum, nihil inaequale, nihil ineptum, nullum aucupium varietatis

1) In annotat. ad. 1 Thess.

quasi in pictura colorum, nullum tumorem, denique simplicia esse et recta omnia.[1]) Quae quum verissima sint, simul confitendum est, Melanchthonem, quod ad expolitam atque perfectam orationis formam pertinet, non tanta ingenii monumenta reliquisse, quanta ab eo exspectare quis potuisset. Hoc etiam Erasmus vidit, qui quum saepius temporum dissidiis eum Musis ereptum deploravisset, denique in dialogo Ciceroniano inter scriptores, illa aetate Latina eloquentia celeberrimos, hoc candidissimo illum iudicio depingit: „Nullum hoc ingenio felicius, si totum vacasset Musis. Nunc hanc laudem leviter affectavit, ac naturae felicitate contentus, nec artis nec curae permultum ad scribendum adhibuit et haud scio an affectantem nervi fuerint defecturi. Extemporali dictioni natus videtur; nunc aliis intentus eloquentiae studium magna ex parte videtur abiecisse.“[2]) Etiam Camerarius dicere non praetermittit, veteribus Atticis Melanchthonem propiorem evasurum fuisse, si mediocre saltem ocium ad suorum illi limam et expolitionem concessum esset, quae pleraque omnia non edita sed effusa, non composita sed festinanter in chartas coniecta, non emissa sed expulsa sint, non prodierint sed evolarint urgente nimirum necessitate et re postulante. Addit tamen ne sic quidem illius scripta languere aut dissoluta, ieiuna, trita, vulgaria esse; in iis quae ad publicas consultationes vel deliberationes pertinuerint, neminem attentam cautionem illius et dilucidam expositionem vincere immo assequi potuisse; se vidisse eum in talibus operibus non modo sententiarum pondera examinantem sed verba singula quasi aurificis statera perpendentem.[3]) Et si vetus scriptor Julio Caesari concedit, ut propter magnitudinem cogitationum et occupationes rerum minus in eloquentia effecerit quam ingenium eius postula-

1) Camer. l. c. p. 72 seq.

2) Erasmi opp. ed. Bas. a. 1540. I p. 853 (Ciceronianus a. 1528 editus est).

3) Camer. l. c. p. 73. 75.

bat,[1]) simile aliquid propter cogitationes et occupationes alius prorsus generis de Melanchthone dicere fas est, qui tot negotiis, curis, itineribus, diversissimis domum frequentantium colloquiis, gravissimis epistolarum commerciis detentus, quomodo simul effundendae tantae scriptorum copiae vacare potuerit, difficile intellectu est. Quod vero ocii angustiis circumventus tamen ad obeundos tam diversos in litteris labores se accinxit neque ad pauciora eaque accuratius perficienda operam restringendam putavit, id non tantum ingenita naturae propensione, sed etiam urgente quadam temporum necessitate factum est. Quum enim totius litterarum campi ingentes tractus inculti adhuc et paene intacti remanerent, adolescentem autem ut ita dicam doctrinarum scientiam qualicunque illorum cognitione indigere ab omnibus sentiretur, ii viri, quos ad praeeundum in ea re aetati suae vires non deficiebant, ab alio semper labore nondum ad finem perducto iam quasi ex improviso ad auspicandum alium avocati sunt. Inde necessitas orta est extemporalis illius dicendi generis, ad quod Melanchthonem natum esse videri Erasmus adnotat, quod vero Erasmus et sui ipsius quodam modo proprium esse probe noverat. Iocans polygraphum se depingit, qui scilicet multum chartarum obliniat atramento, qui abiiciat et praecipitet omnia, nec pariat sed abortet, interdum iustum volumen scribat stans pede in uno, nec unquam possit imperare animo suo ut vel semel relegat quod scripserit.[2]) Et profecto Erasmus licet publicis negociis non iactatus et in expolienda orationis forma Melanchthone multo diligentior, tamen dum et ipse longam laboriosissimorum operum seriem incredibili sollertia perfecit, nihil grandius ita composuit, ut tanto artifice ingenio, quanti vestigia ubique in eius scriptis elucent, dignum videri posset. Iure nimirum tunc temporis

1) De oratoribus dialogus c. 21.

2) Erasmi opp. I p. 851.

a talibus viris, quibus alacerrimi quique litterarum cultores ducibus utebantur, immensae materiae uberiores velut lineamentis circumscriptas imagines, quam rariora absolutae artis monumenta exhiberi maluerunt aequales; nostra memoria quo plures sunt qui omnes cuiusvis doctrinae partes tetigerint, eo iustius novorum operum accurata potius perfectio quam larga festinataque effusio requirenda est.

Ceterum Melanchthon quum sua aetate summa eloquentiae laude floreret, ipse quantum ad eam merendam sibi deesset ingenue professus est. Non tantum orationem suam temporum calamitatibus tristiorem quendam vultum induisse dicere solitus est, sed etiam agnoscit, „se divinam illam formam, qualis in Phidia fuerit, effingere non posse, quare facile patiatur se inter *κοροπλάθους* et minutorum operum figulos numerari.“ Praefationem in opusculum quoddam Joachimi Camerarii scriptam his verbis additis examinandam amicis mittit: „Nemo potest multa simul facere, inquit Xenophon. Id vero miseriae me docent meae. Dum multa simul scribo, ne fieri quidem potest ut singula absolvam. Mitto praefationem subito scriptam, de qua vestro arbitrio statuetis num sit addenda elegantissimo operi Joachimi et nitidissimo.“ Et alio loco de epistolis suis: „Aristoteles, inquit, ait *οὐκ εἶναι φιλικὸν* nimis accurate scribere epistolas. Et verum est. Sed tamen non laudo negligentiam. Me vero negligentius scribere cogit necessitas, quia saepe multis eodem tempore scribo.“ [1]) Quod ad versus eius attinet, nescio primum et invito autore collectos atque editos, etiam iis admiratores non defuere. Ex his nominare sufficiat Julium Caesarem Scaligerum, qui Melanchthonis „ingenium magnum et ad omnia comparatum ex quibusdam eius poëmatiis intelligi“ censet, in epigrammatis „iucundi-

1) C. R. II 925. VII 564. VI 703. Ex his et ex Camerarii testimonio supra allato corrigenda sunt, quae Brettschneider in praef. in C. R. (vol. I. p. XXVII) nimis ut ita dicam generatim de Melanchthonis in scribendo diligentia praedicat.

tatem atque festivitatem" laudat.[1]) Et nunc quoque in singulis quibusdam nativa gratia lectori arridebit. Melanchthon vero versiculos suos insulsos et ieiunos esse aestimat; sibi corvus inter cycnos crocitans videtur; venam fundendi carminis copiosam et dulcem omnino Dei opus esse ait, se vero non tam stolidum, ut se annumeraverit iis, quos Deus hoc tanto dono ornaverit.[2]) Sed ex hac ipsa tanta iudicii de suis scriptis lati acie atque severitate colligere licet, quam rectus et sincerus sensus ad dignoscendum id, quod vere decorum atque congruum est, in eo fuerit, quam alta et praeclara perfectae pulchritudinis effigies menti eius insederit et semper ante animi oculos versata sit. Hanc igitur quasi speciem atque imaginem etiam in connectendis ad unitatis congruentiam diversis litterarum doctrinarumque partibus sectatus est. Sic maxime inter tot gentes et praecipue in Germania nostra non tantum rudem indigestamque scientiae materiam, sed vere humanioris eruditionis semina spargere valuit; magni operis a posteris exaedificandi fundamenta egit; denique eum se praebuit, quem etiam nunc praeceptoris Germaniae, quin reipublicae litterariae reformatoris nomine dignum esse iure dicamus. Idque facilius ab omnibus agnosceretur, si suas de toto doctrinarum corpore sententias similiter fere ac Baco Verulamius peculiari opere complexus esset. Nunc in diversis libris admodum raro lectis dispersae latent neque a quoquam hucusque ita collectae et in unum redactae esse mihi videntur, ut imago illa in Melanchthonis animo expressa repetatur et reddatur. Quod si aliquantulum felicius praestare contingat, rem non magnam quidem, sed utilem, viri memoria dignam, multis haud ingratam peracturum me esse spero.

Incipio ab iis quae de omnium disciplinarum artiumque consociatione proposuit. Saepius de pulcherrimo eorum

1) Poëtices libro 6 Cf. Bayle Dictionnaire s. v. Melanchthon.

2) C. R. X 462.

choro atque concentu loquitur, quem confundere et perturbare summae iniuriae sit. Errare enim eos qui singulis tantum artibus locum in civitate concedant, reliquas non aliter pellant ac Plato poëtas eiecerit. Sed Aristotelem sapientissime dixisse non fieri civitatem ex medico et medico, sed ex medico et agricola; nimirum diversis et pluribus artibus opus esse. Neque quidquam indignius homine docto, quam artis suae laudem augere aliarum artium vituperatione.[1]) Aptissimam adiungit similitudinem his verbis: „Cogitate adolescentes, quid futurum sit, si quis consonantibus omissis tantum vocalibus uti velit in loquendo; is profecto cum tota rerum natura pugnabit. Ideo enim litterae vocantur elementa, quod sicut in natura necessaria sunt elementa, ex quibus corpora constant, ita litterae necessariae sunt ad sermonem componendum. Quare sicut illa divina series in universitate rerum perturbaretur exempto uno elemento, ita dissimiles artes inter se copulatae atque iunctae sunt. At hunc chorum artium perturbant isti, qui sentiunt inferiores disciplinas[2]) ad vitam inutiles esse, quia eorum fructus imperitis non ita in conspectu est. Si quis admirator coeli ac stellarum (quid enim his corporibus pulchrius cogitari potest?) velit aquam ex rerum natura tolli, quod impar sit stellarum claritati, nonne hunc insanire diceremus? Si quis propter admirationem doctrinae religionis iubeat e vita tollere omnia iura atque instituta civitatum, omnia vincula domesticae vitae, nonne hunc omnes sani homines vi atque armis coërcendum esse iudicarent?“ Mentionem facit Monetarii et Anabaptistarum, ad quorum fere modum ii insaniant, qui chorum et concentum artium perturbent.[3])

---

1) Cf. C. R. X 691. XI 212. X 912. XI 362.

2) Philosophicae maxime, quam aiunt, facultatis significatio usque ad recentiora tempora usitata. Cf. Kant, der Streit der Facultäten.

3) C. R. XI 211 seq.

Ad provehendas singulas disciplinas Deus suo tempore eximia quaedam ingenia excitat. Horum initia atque progressus contemplari, Melanchthoni res gratissima atque laetissima videtur. Saepius ea comparat cum ingeniis ad poëticam vel musicam artem natis. „Generosae, inquit et heroicae naturae, quae ad illas summas doctrinas divino aliquo afflatu et ἐνθουσιασμῷ rapiuntur, ut avidius haec appetunt sic arripiunt facilius, perinde ut hi, qui natura ad scribendum carmen ducuntur, citius syllabarum et pedum mensuras percipiunt.“ Et ubi narrat, quantam vim in Augustini adolescentuli animum exercuerit defensio illa philosophiae, quae in Ciceronis Hortensio legebatur, „Harum, inquit, iucundissimarum disputationum lectione ita motus videtur Augustinus, ut qui natura musica sunt, etiamsi adhuc rudes sunt artis, et aliud agunt, tamen dulci cantu mirabiliter ad musices amorem ac studium exstimulantur.“[1]) Similiter etiam minora ingenia, heroibus illis non aequiparanda, pro sua quodque natura ad singula studia feruntur. Vult autem Melanchthon, ut omnes aliqua totius orbis doctrinarum notitia imbuantur. Id vero ne fiat cum damno sanitatis cuiusdam animi, duas res necessarias commendat, iustam moram et iustum ordinem. „In studiis, inquit, non aliud perinde refert, quam ne intempestive properemus. Nunc fit, ut multi, quum varias disciplinas pervagentur sine ordine sineque ratione, nullam penitus cognoscant nullaque de re prudenter iudicare queant. Et ut errones nullos certos lares habent, nusquam domi sunt et, ut dicit Martialis,

quisquis ubique habitat maxime nusquam habitat,

ita illi, quum in omnibus disciplinis sint hospites, tamen nullam habent familiariter notam.“ „Praeclare dixit Xenophon in oeconomico, nihil ordine vel honestius vel utilius esse, cuius sententiae vim cum in omnibus aliis rebus ex-

---

1) C. R. XII 249. XI 449.

perimur tum maxime in studiis litterarum."[1]) Neque singulorum tantum praeceptorum est optimam docendi rationem eligere, sed quae in ea re usu et experientia comprobata sunt, magistratibus curae esse debent. „Convenit eos prospicere ne perturbato discendi ordine, honestae disciplinae intercidant. Plato ait respublicas mutari si contingat musicam mutari. Neque id abs re dictum est. Sed hoc multo verius est, mutatione studiorum mutari rempublicam. Et perversa ratio discendi maximarum rerum ruinam trahit. Inprimis igitur in hac re vigilantes esse magistratus oportet. Neque dubito quin olim de his rebus novas leges condituri sint, quum praesentes turbae atque motus rerum publicarum consilescent." Haec Melanchthonis verba velut vaticinium sonant, nostro tempore satis superque impletum.

Illius vero studiorum ordinis publice conservandi quasi fundamentum ita ponit, ut ab accurata veterum linguarum litterarumque institutione omnis eruditio proficiscatur. Hoc fundamento quod in Germania nostra hucusque utimur, id magnam partem Melanchthoni debemus. Quantum ad reformandas et augendas scholas contulerit, quot praestantissimi praeceptores instructi ab eo et informati sint, nemo est qui ignoret. Praeterea editis, emendatis, explicitis, translatis tot antiquorum monumentis haec studia omnibus faciliora reddidit. Sed horum laborum specimina, quae plurima vel ab ipso, urgente tempore, cito conscripta, vel ab aliis ex docentis ore calamo excepta supersunt, non tanti fiunt quanti par est. Etiam clarissimus Bernhardy, egregius veteris historiae litterariae scriptor, non satis ex illis Melanchthonis ingenium perspexisse neque satis splendide de eo ibi locutus esse mihi videtur, ubi cum Erasmo eum comparare instituit.[2]) Nihil detraho de summis Erasmi me-

1) XI, 101. 160. Cf. III 530.

2) Cf. Bernhardy, Grundriss der Römischen Litteratur. Dritte Bearbeitung p. 117—119.

ritis, cuius se signa velut gregarium militem secutum esse ipse Melanchthon profitetur[1]; hunc vero peculiare classicae, inprimis Graecae vetustatis ingenium et intellexisse altius et quasi cognati animi motu atque nisu propius ad illud accessisse iure aliquis contenderit.

Iam locuti sumus de verissimo tenerrimoque, quo Melanchthon antecellebat, pulchritudinis sensu. Hic sicut in amore conspicuus est, quo aeque ac Lutherus pictorum et musicorum opera amplectebatur (musicae artis etiam theoriam didicerat[2]), ita traxit eum ad contemplanda veterum scripta indeque vicissim incrementa cepit. Non haec frigida et fucata admiratione intuetur, sed cum ardentis amoris affectu. Sic de Graeco poëta loquens: „Quid? inquit, si in excellentibus picturis contemplandis nunquam oculi exsaturantur, sed quo diutius in eis haerent, eo magis admiratio videndique cupiditas crescit (quis enim nostrum, quoties in templum venit, non toties resistit ad eas tabulas, quas ibi vel Durerus vel noster Lucas posuit), non idem accidat in egregio poëmate considerando? Truncum ac caudicem illum profecto dicere nihil verear, cui satis est semel aut iterum excellens et ornatum carmen legisse. Sicut apud Virgilium mirabili cupiditate ac laetitia intuetur coelo demissum clypeum Aeneas,

> expleri nequit atque oculos per singula volvit,
> miraturque interque manus et brachia versat,

ita et nos nunquam satietas aut fastidium legendi capiat.“ Et in alio loco: „Delectat et ipsa orationis harmonia ceu musica quaedam; nulla est enim cantilena dulcior quam oratio de rebus bonis concinna et bene composita.“ „Scytha quidam quum apud Graecos musicum audiret suavissime canentem, Malle se, inquit, audire hinnientem equum. Satis

---

1) C. R. I 947.

2) In Vitebergensi bibliotheca vidi librum ni fallor Ravii de theoria musices, Melanchthoni dedicatum. Cf. C. R. X. 765 seqq.

hic quidem Scythice, sed bis Scythicum fuerit nihil affici suavitate orationis summorum auctorum." [1])

Veram autem pulchritudinem divinae originis esse et cum quovis bono cognatam, Melanchthon non Platonis libris sed sua propria natura et indole edoctus est. Neque de ea se sententia depelli passus est frivola illa elegantiae specie, quam cum Erasmo in Italis quibusdam taxat. Saepius ad exprimendam etiam virtutis naturam similitudines assumit ab artium operibus. „Ut architecti, inquit, tenent in animo inclusas certas formas aedificiorum, quas imitentur in aedificando, et ut insidet in mente pictoris species pulchritudinis eximia quaedam, quam intuens in quaque defixus ad illius similitudinem artem et manum dirigit, ita et nos oportet formam quandam virtutis animo insculpere, quam contemplemur et in consilium adhibeamus quoties de moribus deque hominum officiis iudicabimus" [2]). Ubicunque autem in animi sani et bene instructi penetralibus talis virtutis imago eluceat, ibi eius pulchritudinem sermonis nitore atque puritate quasi speculo redditum iri censet. E contrario „communiter fere fieri, ut cum erroribus et fanaticis opinionibus coniuncta sit orationis confusio ac deformitas." Cuius rei exemplum esse dicit monstruosam et contortam Mahometi in Alcorano orationem [3]), idque, quod ad universam oraculorum structuram pertinet, suo iure, licet singula in iis elegantiora sint, quam ex imperfecta interpretatione Latina intelligi poterat.

Quantum etiam in iudicandis hominibus sententiae illi de nativa pulchri et recti cuniunctione tribuerit, egregie docent litterae ad Castalionem datae, virum sermonis puritate et lepore eximium. Cui Melanchthon: „Conspecta, inquit, forma orationis tuae semper te magni feci. Est enim, ut scis, in-

1) C. R. XI 250. 373. IX 696.
2) XI. 112 seq.
3) XI 865.

genii, prudentiae, iudicii et verae etiam virtutis index recta et diligens oratio. Scis autem illud Musarum canticum Ὅττι καλὸν φίλον ἐστί. Quare quum illa tua ornamenta considerarem, ne fieri quidem potuit, quin te diligerem, etiamsi familiaritas nulla fuit. Suntque mihi testes multi, et in his Hubertus tui amans, meorum sermonum, quos de te honorificos saepe inter amicos habeo. Gratum igitur mihi fuit abs te ad scribendum invitari, ac vicissim hanc meam epistolam volo apud te et iudicii mei testem et sincerae erga te benevolentiae pignus esse, et aeternam inter nos amicitiam esse opto" [1]).

Ita igitur sentienti neque perversius quidquam videbatur neque perniciosius quam eloquentiam a veritatis atque virtutis studio disiungere. Eiusmodi erroris patronus praecedente seculo vir excellentis ingenii, Picus Mirandolensis, prodierat, epistola ad Hermolaum Barbarum pro barbaris id est scholasticis philosophis scripta. Quos quum adversus detrectatores iuste ex parte sed nimis acriter defendisset, in opiniones paradoxas et falsas inciderat. Eas Melanchthon, Hermolai nomine Pico respondens, non minus ingeniose quam copiose et facunde refellit [2]). Duas virtutes summas hominis proprias esse dicit, mente res bonas perspicere ac videre, easque dicendo explicare et ostendere aliis posse; has virtutes natura maximarum utilitatum causa copulatas Picum distrahere, quum longe rectius iam Homerus utriusque laudem sapientissimo principi tribuerit:

σοὶ δ' ἔνι μὲν μορφὴ ἐπέων, ἔνι δὲ φρένες ἐσθλαί.

Eloquentiam non esse, ut quidam somnient, accersitum cultum atque ornatum, sed facultatem proprie ac dilucide explicandi animorum sensa ac cogitationes, qua in re etiam dignitati et veritati serviendum sit, ut apta et recta dicantur,

---

1) Haec epistola ad Castalionem (seu Castellionem) a. 1557 scripta est. C. R. IX 359 seq.

2) IX 687 seqq.

ut amplificentur res magnae, et eleventur ea quae abiici prosit. Interrogasse Picum, „quis cincinnos, quis fucum in proba virgine non damnet, quis in vestali non detestetur?“ Sed neque monstruosam faciem decere virginem. Quid vero barbarorum oratione montruosius? Nam eam orationem, quae sit optima, nativum sententiae colorem esse. Aliena, confusa et perturbata oratione deformari et corrumpi sententias, ac ne effingi quidem. — Sub finem huius lepidissimae commentationis, ex qua pauca tantum hic afferre potuimus, excusat se, quod vehementior alicubi fuerit, pertinacissimos quosdam meliorum studiorum adversarios animo intuens, quibuscum sciverit sibi verius quam cum ipso Pico certamen esse. Hunc denique alloquens: „Stesichorum, inquit, ferunt, quum Helenae formam vituperasset, erroris poenam coecitate dedisse, posteaque quum palinodiam caneret, oculos recepisse, ita te quoque Deo gratum facturum statues, si eloquentiam coelo donatam hominibus, cuius dignitatem prior epistola extenuat, rursus ornes ac laudes. Id argumentum tua et persona et facultate copiaque dignum fuerit.“

Congruit cum hac contemplandae eloquentiae ratione amor ille simplicitatis, in quo Camerarium Attici aliquid ingenii conspexisse memoravimus. Et ipse quidem Melanchthon eximie laudat Atticos, quippe qui summa proprietate dictionis usi sint et verecundiores fuerint in ornando reliquis gentibus et quidquid ineptum et intempestivum est summa diligentia vitaverint. Praecipuum orationis ornatum „ipsam rerum propriam explicationem“ esse dicit, ut in pictura iusta corporum lineamenta. Ipsas animi cogitationes quasi pingendas et repraesentandas esse, qua in re si quis elaboret, magna ei varietate, quasi colorum, verborum, sententiarum et figurarum opus fore. Eis, quae re postulantur, aliena admiscere idem esse ac si quis ad pulchram statuam purpureos et sericos pannos suspendat. „Luceat, inquit, in oratione tanquam in vultu ingenuitas dicentis

sitque propria et simplex orationis forma qualis Apellis est color in tabulis"[1]). In hac proprietate atque simplicitate, naturam rerum diligenter exprimente, vera styli perfectio posita est, quam assequi non tam facile est quam multis videtur. „Memini virum excellentem ingenio et virtute Albertum Durerum, nostrae aetatis Apellem, quum mihi cupide audienti commemoraret et adolescentiae studia et quem sibi postea scopum artis proposuisset, quo quasi directam manum haberet, dicere se adolescentem in pictura floridi aliquid et mirificam quandam ac paene prodigiosam varietatem amasse gestuum atque ornamentorum omnis generis. Postea senescentem se consuluisse naturam et illius nativam faciem intueri conatum esse eamque simplicitatem tunc intellexisse summum artis decus esse. Quam quum non prorsus assequi posset, dicebat se iam non esse admiratorem operum suorum ut olim, sed saepe gemere intuentem suas tabulas ac cogitantem de infirmitate sua. Neque vero facilius est vitae negotia verbis propriis quam naturam coloribus exprimere"[2]).

Illa dicendi simplicitas non tollit diversa styli genera, quae Melanchthon usitato more describit et adiunctis veterum scriptorum exemplis illustrat. Ceterum diversas eiusmodi formas operum non solum in hac dicendi arte sed in plerisque aliis nasci ingeniorum dissimilitudine observat. Et tamen certos quasi gradus animadversos esse, intra quos hae formae consistant, nimirum humile genus et illi oppositum grande; tertium esse mediocre, quod primo genere plenius sit et tamen aliquantulum a summo absit. In picturis facile deprehendi has differentias posse. Durerum

---

1) XIII 505 seq. IX 695. 690. seq. XI 677. IV 725.

2) C. R. VI 322 et IX 694. Utrumque locum coniunximus in iis quae supra leguntur. Alluditur ad eadem Dureri verba V 523, ubi et a senilibus Sophoclis, Carneadis, Ciceronis operibus exempla sumuntur.

enim pinxisse omnia grandiora et frequentissimis lineis variata. Lucae picturas graciles esse, quae etsi blandae sint, tamen quantum distent a Dureri operibus, collationem ostendere. Matthiam quasi mediocritatem servasse. Misceri autem haec genera inter se, sicut musici tonos misceant Nam et illos, qui sint tenuiores, interdum aliquid efficere plenius. Et in eodem tempore alios locos grandes esse, alios exiles, iuxta rerum varietatem de quibus dicatur. Unicuique vero observandum esse, ad quod dicendi genus natura magis appositus videatur et pro ea re a vitiis ad quae inclinet cavendum[1]).

Ad haec dum iuventuti et doctrina et consilio opem ferre studet, semper eam illius instituendae rationem tuetur, ut dicendi facultas non colatur nisi promota simul rerum scientia et exercitata iudicii acie. Alias facundiae loco spargi sophisticam garrulitatem. Sed frustra etiam omnem laborem sumi in litteris, si nunquam haec facultas, quae cogitationes animorum nostrorum et quidquid de magnis rebus sentiamus perspicue exponere possit, contingat. Talem vero materiae et formae congruentiam praeclarissima veterum imprimis Graecorum monumenta et ipsa exhibent, et alios docent. Ideoque, si recte iis utimur, optimum omnis barbariae antidotum sunt. „Ut neglectis filix innascitur agris, ita in ingeniis, nisi repurgentur elegantiore litteratura, velut inutiles herbae natae vim mentis omnem strangulant et enecant, ne aut pervidere res obscuras aut publicare et in apertam lucem proferre queant.“ „Ut in leonibus et equis sic in barbaris et non assuefactis saepe est egregia indoles, sed illa suavitas deest quam doctrina addit; quae animos dulciores et mitiores reddit et flectit arte ad decorum et condire actiones quadam gratia studet.“ „Dicimus linguam graecam magistram et quasi fontem esse non tantum coe-

1) XIII 504. 506. Tres illi pictores sunt Albertus Dürer, Lucas Cranach, Matthias Grunewald. Cf. Kugler, Gesch. d. Malerei II p. 248. 253.

lestis doctrinae, sed et reliquarum artium ut pulcherrimarum, ita et vitae humanae ita necessariarum, ut non hic aër vel ignis magis necessarius sit" [1]). Haec omnia, quae exscripsimus, Melanchthonis verba egregie ostendunt, quam fortiter semper ea mente constiterit, qua iam admodum iuvenis in prima oratione Vitebergae habita pronuntiaverat, se ad docendas veteres litteras illuc vocatum id esse officii sui arbitrari, ut „bonorum studiorum et renascentium Musarum causam tutandam suscipiat adversus barbaros." Neque vanum erat somnium magna illa spes, cui indulgere se indicaverat his verbis: „Videor mihi videre tacitus aliquot locis reflorescere Germaniam planeque moribus et communi hominum sensu mitescere et quasi cicurari, quae barbaris olim disciplinis effera nescio quid immane solita est spirare" [2])

Tantis vero humaniorum litterarum fructibus ii potiri non possunt, qui leviter in illis ludentes nihil aliud quaerunt nisi ocii delectamentum. „Nos, inquit Melanchthon, haec divina dona reverenter tractemus nec ullum etiam studium aut laborem, dum illa consequi possimus, recusemus, ne nobis hoc veteris poëtae occinatur:

Σῦκα φίλ' ὀρνίθεσσι, φυτεύειν δ'οὐκ ἐθέλουσιν.

Gratae avibus ficus sed nolunt ferre laborem.

Et primum quidem grammaticam „fideliter" docendam atque discendam saepissime inculcat [3]). Cui rei ipse scriptis de utriusque linguae grammatica libris inservire studuit. Tum veterum gentium res gestas, mores, leges diligenter investigandas esse ostendit. „Optimi scriptores, inquit, non intelliguntur, nisi consilia ac voluntates eorum ita consideremus, quasi una cum illis viventes iisdem intersimus deliberationibus ac negotiis, in quibus ipsi versabantur. Tota respublica vetus animo intuenda et ad praesentem formam

1) II 482. XI 115. XVI 25. XI 862.

2) XI 15. 25.

3) XI 866. Cf. I, 1111.

conferenda est.“ „Leges cognoscere est cognoscere totam formam reipublicae. Quum Atticae civitatis aut Romanae leges cogitamus, videmur quasi cives in illis ipsis urbibus vivere, intuemur ordinem magistratuum, exempla disciplinae, severissimas scelerum poenas, consilia moderatissima in sedandis bellis civilibus“ [1]). Ipse scripsit lucubrationem, qua leges Atticas et Romanas inter se comparavit. Bene cognovit quanti in his omnibus labores relinquerentur posteris: sed

Est quadam prodire tenus si non datur ultra [2]).

Praeterea seriis animis in eo quoque summo labore nitendum esse dicit, ut in legendis poëtis aliisque scriptoribus non, id quod inepte ludentes facere soleant, [3]) singulos tantum locos atque sententias captent, sed universum opus considerent. Id saepissime monet, ad id adolescentes datis librorum argumentis et imprimis explicatis orationum artificiis quasi manu ducere studet. Non negligit singula ingeniose dicta [4]); sed semper revocat animum ad totam operis structuram. Sic de Hesiodo loquens: „Quantum, inquit, putas accedit orationi gravitatis hac auxesi paene tragica, quum reges δωροφάγους appellat? quam grata compositio est χειροδίκαι? Sunt hoc genus sexcentae figurae, quas non libet hic enumerare, ne quid amittant gratiae ex integra oratione velut a corpore membra avulsae.“ Et de Demosthene atque Aeschine in praefatione ad eorum orationes scripta haec verba leguntur: „Locos nonnulli decerpsere, unde specimen aliquod eloquentiae istorum caperetur; sed velut, si praeclaram statuam dissolvas, quanquam insit in singulis membris suus decor, tamen minus clare

---

1) XI 369. XII 25. cf. XVII 678.

2) Cf. XI 102.

3) II 23.

4) Cf. quae ad Propertii distichon quoddam adnotat XVI, 857. seq. 886.

percipi ac sentiri venustas videtur, quam si integra statua vides suo quaeque loco collocata, ita malim vos integras orationes oculis atque animo contemplari, quam sententiolas quasdam excerpere, e quibus reliqua oratio aestimetur ut ex unguibus leonem aiunt. Nam si universam tibi proposueris, ibi vere senties non modo quibus verborum aut sententiarum figuris, sed quo consilio etiam et qua sollicitudine dixerint, quam callide in populi aures irrepant, quam diligenter sese communiant, ubi alacrius procurrant in adversarium, ubi referant pedem, ubi ludificentur hostem, quae proprie causae sint argumenta, quae ornamenta obiter accedant, quomodo in locos communes a causa exspatientur, quo genere affectuum ac sermonis in singulis causae partibus utantur. Quae omnia qui diligenter spectavit, nae ille omnium humanorum operum nihil admirabilius oratione esse statuet" [1]).

Quod denique ad diiudicandos diversos veterum scriptores pertinet, Melanchthon eos potissimum iuventuti commendandos putavit, qui in suo quisque genere principes sequentium magistri et quasi fontes evasissent. Quam ad rem admodum facete hos Ovidii versus applicat:

Nam quamquam sapor est adlata dulcis in unda,
gratius ex ipso fonte bibuntur aquae,
et magis adducto pomum decerpere ramo
quam de caelata sumere lance iuvat [2]).

Ea maxime iuvenili, ut ita dicam, iudicii sanitate Melanchthon Erasmo longe antecellere mihi videtur. Hic summam operam impendit in latine vertendis multis Luciani scriptis nec non aliquot Libanii declamationibus, Melanchthon primus inter nostrates plurium Demosthenis orationum et omnium Pindari carminum Latinus interpres exstitit; ad utrumque autorem diligenter legendum iuventutem ar-

1) XI 114. 104. seq. cf. XI 714. XVI 898.
2) XI 112. (XVIII 185).

denter excitavit. In M. Tullii operibus iuste ita aestimandis, ut servis eorum imitatoribus resisteret, Melanchthon cum Erasmo consentiebat. Illa semper denuo diligentissime interpretatus est; ex lectione librorum „de oratoribus“, postquam Guarinus eos repererit, renatam quasi esse inter Italos eloquentiam cum Sabellico fatetur[1]). Attamen in Ciceronis orationibus nimios interdum et naturae veritatem excedentes colores exhiberi sensit eosque accommodatos esse putavit ad forum populi bello magis quam pacis artibus magni neque cum foro Attico, quod quidem ad veram ingenii et sermonis urbanitatem attinet, comparandum. Eo sensu haec verba enuntiavit, quae quin ex ore eius integra calamo excepta sint non est quod dubitemus: „Antecellunt Demosthenis orationes forenses omnibus quae scriptae sunt. Ciceronis orationes sind Bauren-Predigt dargegen, denn Cicero hat sich nach den Krieges-Gurgeln müssen richten. Sed Graeci dicunt accuratius et eruditius. Isocratis Ding das dehnet sich, non est ad pugnam comparatum. Demosthenis oratio est ein ernstlich Ding“[2]). Nemo haec ita accipiet quasi notetur in Cicerone vere agreste aliquid et incultum. Sed idem dicere vult Melanchthon quod veteres nonnulli, quibus Cicero „supra modum exultans et superfluens et parum Atticus“ videbatur.

Afferantur hoc loco nonnulla etiam ex iis quae Melanchthon „de legendis tragoediis et comoediis“ scripsit[3]). „Ego ipse saepe toto corpore cohorresco legens tantum, non etiam intuens ut in theatro agentes, Sophoclis aut Euripidis tragoedias. — Sicut Pindarus dicit, Ixionem implicitum rotae apud inferos clamitare hanc vocem quam Virgilius reddidit:

Discite iustitiam moniti et non spernere divos,

1) XVI 690.

2) XXV 670. seq.

3) V 567—572.

ita tragoediarum omnium hoc praecipuum est argumentum. — Etsi autem comoediae ioci et oblectationis causa magis fictae sunt, tamen consilium paene est simile. Et vetus quidem comoedia proprior est tragoediae. Apud Aristophanem sunt exempla civium, quorum alii rempublicam bene rexerunt, alii turbarunt atque everterunt, dissimilitudo voluntatum, consiliorum et eventuum proponitur." Deinde quomodo mutatis temporibus nova comoedia orta sit exponit, cuius egregia monumenta quod funditus interierint, magnopere ei dolendum videtur. „Nam et ex Latinis, inquit, utcunque aestimari potest, quantum venustatis in Graecis fuerit, et fragmenta sunt elegantissima, denique consentaneum est homines Atticos ingeniis et eruditione excellentes, lepore inter se certantes, quum et honos esset huic studio et alii ab aliis tum excitarentur, tum adiuvarentur, non insulsos iocos, quales nunc sunt scurrarum aulicorum, in theatra attulisse, sed sapienter excogitata argumenta et varietate doctrinae et orationis suavitate dulcissime ornata. — Postquam vero monumenta horum interierunt, reliquiis fruamur, Plauti et Terentii fabulis." Quarum igitur nonnullas in schola sua privata ab adolescentibus etiam agendas curavit,[1]) ita quoque barbariae obviam iri existimans, id quod ipse in prologo in Militem Plauti scripto significat:

Deserta scena et muta aliquamdiu stetit,
salesque refrixerant et comici ioci,
cum barbari obruissent tenebris litteras,
sed hae postquam caput erigunt comoediae,
favete quaeso, in lucem ut una prodeat[2]).

Praecipue denique Homeri praestantiam non tantum frigide admiratus sed ardente amore amplexus est, ex quo ceu perenni fonte reliquos poëtas velut rivulos scaturire

1) Cf. Koch, Melanchthon's schola privata p. 56. seqq.
2) C. R. XIX 785.

ait[1]). „Ego, inquit, ut verum fatear, etsi non ita oblitus sum mei, ut hoc mihi sumere ausim, me illas ingentes et innumerabiles Homerici poëmatis divitias omnes cernere aut cognoscere posse, tamen hoc plane mihi accidere sentio, ut, quemadmodum ille ait, inopem me copia faciat. Multiplicia enim me ab omni parte velut divina miracula occurrentia attonitum suspensumque tenent, ut difficile sit unde exordiar aut in quo desinam, statuere.“ „Censeo nullum unquam scriptum, inde usque a primum condito orbe, ulla in lingua aut natione, ab ullo humano ingenio editum esse, sacra ubique excipio, in quo vel doctrinae tantum sit vel elegantiae et suavitatis.“ „Sunt illic de omnibus rebus ac negociis cogitationes, quae quidem ab ulla humana mente concipi possunt, humanissimae, dulcissimae et simul sapientissimae.“ „Etsi igitur post eius aetatem effloruit satis felix poëtarum proventus, ipse tamen semper suum, hoc est summum ac principem locum tenuit et unus omnibus, quos ulla tulit aetas, poëtis palmam praeripuit.“ Iis qui in Homero vituperaverant, quod magnis ac heroicis viris lacrymas attribuisset, haecce respondet: „Id cur reprehensionem mereatur non video, imo vero praecipue laudandum hoc mihi videtur esse, quod non stultam illam et imaginariam Stoicorum ἀπάθειαν somniavit, sed tales rerum atque hominum imagines proposuit, quales essent in rerum natura et vita; non finxit prodigiosas et a communi humano sensu abhorrentes opiniones, sed ea suo carmine expressit, quae quam maxime essent usitata in vita et consentanea communi sensui.“

Adiicio quae de Virgilio, ex Melanchthonis ore excepta, tradita sunt[2]). „Nihil moror illam fabulam, qua Virgilium cum Homero, Hesiodo et Theocrito conferunt et Homero

---

1) Haec et sequentia e praefatione Melanchthonis in Homerum a Winshemio editum deprompta sunt. C. R. XI 397. seq.

2) XIX 860. seq.

parem, Hesiodo superiorem, Theocrito inferiorem faciunt. Nota est sententia Quintiliani, quam credo alicuius vetusti autoris esse: inferiorem esse Virgilium sed ita tamen ut primo sit propior quam tertio. Ac profecto facile excellit Homerus omnes alios tum Graecos tum Latinos. Superior autem Hesiodo Virgilius facile esse potuit. Hesiodi enim consilium fuit non praecipue de agricultura sed de moribus scribere, additis brevibus quibusdam praeceptis rei domesticae, ut significetur virtutem cum labore coniunctam esse debere. Theocrito est sane inferior. Illas enim blandissimas delicias nequaquam est assecutus Virgilius atque haud scio an recipiat eas Latina lingua."

Ex iis quae hucusque dicta sunt satis apparet, quantum fuerit in Melanchthone Graecae et Romanae vetustatis studium. Ad hoc vero non ita incumbebat, ut seriorum quorundam instar patriam linguam despiceret, cuius etsi non tantus quantus Lutherus artifex erat, tamen duo Maccabaeorum libri, qui ab eo translati in Bibliis nostris exstant,[1]) et alia quaedam germanice scripta puritatis atque simplicitatis laude non carent. Etiam iis, quae publice Latina lingua docebat, vernaculam phrasin, ubi vel clarior vel significantior videbatur, admiscere non dubitabat, cuius rei exemplum supra posuimus. Utriusque sermonis contextum verborum quaeque in eo falsa et turpia sunt inter se confert[2]). Etymologiam quoque vocum Germanicarum saepissime[3]) tentat, qua in re si non ubique felix est, tamen patriae linguae amorem manifestat. — Similiter etiam litterarum Ebraicarum, quae Politiano aliisque Italorum philologis ut barbarae sordebant, „singularem et dignitatem et elegantiam" vindicat. „Nunquam, inquit, sapientia est sine elegan-

1) Cf. Strobel, Melanchthon's Verdienste um die heil. Schrift p. 20. seq.

2) XVII, 15.

3) Cf. XXIV 416. (Vogtei). 683. (Ostern). 741. (Danken, denken).

tia, hoc est sine illa arte, idonea temporibus ac personis cum aliqua singulari suavitate dicendi. Fuisse autem sapientiam in prophetis excellentem, magnitudo rerum gestarum ostendit. Quare ne putetis eorum orationem insulsam esse; sed ut picturam longius positam iudicare difficilius est, ita ignari rerum ecclesiae non satis vident, quam illustres et dulces imagines proponant prophetae." „Hae maximae res longe superant materias Demosthenicas et Ciceronianas et magnitudo rerum gignit splendidam orationem apud prophetas; qui quum sint viri sapientes, mira luce et emphasi verborum has res maximas exponunt." Hic quoque non posse de eloquentia fieri iudicium admonet, nisi „ex perpetua oratione et integris voluminibus." Alicubi Davidem dicit neque in carmine, quod, ut in ista lingua, vere Atticum sit, neque in republica gubernanda Graecis cedere. „Et habet anchoram, qua suam navim etiam quassatam ventis et fluctibus servet, ignotam Themistocli, Pericli et similibus"[1]).

Transeo ad ea, quae in philosophia Melanchthon praestitit, adumbranda. Quae quum magis nota sint, brevior in iis esse possum. Quum enim plurimi et litterarum amici et evangelii propugnatores Aristotelem, post fractam diuturnam eius in scholis tyrannidem, summa immeritaque iniuria afficerent, Melanchthon celeberrimus eo tempore atque felicissimus illius defensor exstitit, qui causam eius et a scholasticis argutiis seiungeret, et cum humanioribus studiis arctissime copularet[2]). Hunc divinitus excitatum esse dicit, ut firma atque perpetua iaceret omnis humanae scientiae fundamenta. „Quum enim natura, inquit, contigisset Aristoteli omnium disciplinarum capax, magna haec felicitas fuit, quod primum domestica institutione ingenium exercitatum et praeparatum est, deinde quod accessit praestantissimus magister Plato, qui naturam felicissimam perpoliret.

---

1) XI 875. 714. IX 697. XI 876. cf. XXIV 736.

2) Cf. Trendelenburg, Geschichte der Kategorienlehre p. 252—254.

Haec ut ego quidem arbitror ita gubernavit Deus, ut perfectum artificem haberemus eius partis philosophiae, in qua elaboravit Aristoteles.“ „Etsi autem quaedam praeclara scripta eius perierunt, tamen existimo ea quae reliqua sunt, quae quidem scholis maxime apta sunt, divinitus servata esse ut posteritas rectius doceri posset“ [1]). Addit, philosophiam non tam angustis finibus contineri, ut existimari debeat tota in hos libros inclusa, sed elementa esse apud Aristotelem. Mathematicos, medicos et iurisconsultos fastigia imponere his quasi fundamentis. Praesagit vero „magnam doctrinarum confusionem secuturam esse, si Aristoteles neglectus fuerit, qui unus ac solus sit methodi artifex“ [2]). Id quod et nostram aetatem post tot tantosque praestantissimorum ingeniorum in philosophia labores expertam esse videmus, ad quos accurate dilucideque diiudicandos cum Kantio Aristotelem optimum ducem et magistrum esse plurimi nunc agnoscunt.

Summi Melanchthon etiam Platonem facit, cygnum illum, ut ait, divinum quiddam canentem. Sed adolescentibus primum Stagyritam proponit, quippe qui artes, quas tradit, explicet integras et methodum simpliciorem ceu filum ad regendum lectorem adhibeat. Assentitur Theodoro Gazae dicenti, „ita lectionem Platonis multum profuturam esse, si quis in Aristotele recte institutus, postea Platonem legat.“ Nam quum afferat Aristotelicam methodum, fore ut facile quasi intra certas metas includat eas res, quae apud Platonem late dissipatae sint. Neque tamen ab altera parte eum fugit, multa in Aristotele bene intelligi non posse, nisi eorum quasi fontes apud Platonem quaerantur. Quod antequam viderit, se dicit adolescentem, quum Aristotelica legeret, quasi in luto haesisse [3]).

---

1) C. R. XI 344. 346.

2) XII 691. XI 349.

3) XI 422. XI 423. XVI 10.; II 957. (ubi exemplum affertur).

Approbat veteres, qui philosophiam distribuerint in dialecticen, physicen et ethicen. Has partes principales, et praeterea doctrinam de anima, singulis quamque exposuit libris, qui suo tempore creberrime legebantur et in scholis proponebantur. Dialecticen cum Platone unam docendi et discendi viam dicit divinitus donatam generi humano. Sed cum studio usum coniungendum esse admonet. „Quidam perlectis praeceptis artis statim se artem tenere putant, qui longissime falluntur. Sicut non statim pictor est, qui Durerum pingentem vidit, nec citharoedus, qui vidit Adolphum eruditissime tangentem fides, ita ne putet se dialecticen callere is, qui nihil scripsit, non disputavit, denique qui artem non exercuit"[1]). Metaphysicas, quas aiunt, quaestiones diversis locis tractat. Quod ad principia attinet, iure eum Schellingius tanquam principem quendam „veteris", quam dicit, doctrinae metaphysicae sectatorem in medium profert, quippe qui statuerit, „causas certitudinis in philosophia esse experientiam universalem, principia et demonstrationes; dubitandum esse de iis, quae non sint sensu comperta, nec sint principia, nec sint demonstratione confirmata"[2]). — Ethicae disciplinae non tantum ipse elementa scripsit, sed etiam libros, qui ad eam spectant, Aristotelis et Ciceronis erudite interpretatus est. Leges tum physicas tum morales et politicas saepius quasi sibi invicem respondentes et ut ita dicam parallelas repraesentat. „Ut hic pulcherrimus, inquit, ordo positus corporum, coeli, aëris, terrae circumfusae oceano, et ut ordo motuum coelestium, qui vices temporum, dies et noctes, aestates et hyemes efficit, sine ulla dubitatione a Deo conditus est et conservatur: ita totum hunc ordinem politicum, foedus coniugii, imperia, dominorum distinctionem, contractus, iudicia, poenas, verissime statuas a Deo institutum esse." „Sicut astronomia est cognitio motuum

1) XIII 656. X 909. XI 161.

2) Schelling's Werke, 2. Abtheilung, Band I p. 261.

coelestium, qui divinitus ordinati sunt, ita philosophia moralis est cognitio motuum, videlicet causarum et effectuum, quos Deus ordinavit in mente hominis"[1]). Quod vero leges morales non aeque ac leges physicae certae atque indubiae esse multis videantur, id derivandum dicit ex dissidio in hominibus manifesto mentis et cupiditatum, quae vincula et carcerem aegre patiantur et mentis iudicio audacissime reclament. Contumeliam vero esse adversus Deum, si quis lucem discernentem honesta et turpia, inditam mentibus nostris divinitus, seu principia practica et demonstrationes practicas velit delere sublata certitudine. „Non dicas falsum testimonium, inquit vox divina: non delectemur corruptelis veritatis, nec quaeramus praestigias ad eam eludendam. Ut mens ipsa sua luce cernit hanc propositionem veram, certam et immotam esse: Bis quatuor sunt octo, sic vera, certa et immota est haec sententia: Adulterium est turpe et vitandum"[2]).

Scientiae physicae investigandas tribuit causas, et efficientes quae dicuntur, et finales. Quare quodam sensu oriri ex illa doctrinam moralem perhibet. Sicut enim in aliis rebus et animantibus necessario quaerendum sit de fine seu de usu seu ad quem usum sint res conditae, ita de humano genere maxime quaerendum esse, ad quem usum et finem haec praestans natura condita sit. Hanc quaestionem de fine esse initium philosophiae moralis. — Recte Stoicos dixisse, cetera hominum causa esse condita, homines vero Deorum causa[3]); nimirum ut innotescat Deus per homines, ut societati humanae proponatur notitia Dei et iustitia. Idem moneri et poëtarum sententiis, qualis illa sit quam ex Arato citet Paulus in Actis[4]).

Ipsae physicae, quotquot erant, doctrinae ut florerent

---

1) C. R. XI 912. XII 690.
2) C. R. XVI 9.
3) Chrysipp. apud Porphyr. de abst. III, 20.
4) C. R. XVI 28. 29.

atque proveherentur, ea aetate vix quisquam maiore quam Melanchthon vel ardore vel successu efficere nitebatur. Et illas quidem arctissime coniungendas esse vidit cum mathematicis, quippe quae non tantum ad rite diiudicandum omne scientiae genus optima ingenia acuant atque praeparent, sed etiam in cognoscenda natura auxilio sint, quo sensuum testimonia quodam modo transgredi liceat; quare, astronomiam maxime spectans, arithmeticam et geometriam „alas humanae mentis“ nominat; „sine iis physicam mutilam esse“ ait [1]). Plurimi libri, et ad disciplinas mathematicas et ad omne genus doctrinae physicae pertinentes, ab eruditissimis viris editi sunt cum Melanchthonis praefationibus [2]), utpote quae eiusmodi operibus non minus, quam philologicis vel theologicis, commendationi et ornamento esse existimarentur. Neque iniuria praeceptor ille Germaniae etiam in his studiis non leviter esse versatus putabatur. Cuius rei documenta non solum in libro, quem de elementis physices, et in eo quem de anima composuit (in hoc enim Aristotelem secutus quaestiones quas nunc aiunt physiologicas attigit), sed etiam in multis aliorum eius scriptorum locis praesto sunt. Vesalii theatrum anatomicum se visitasse narrat [3]). Cum Crucigero instrumenta astronomica construxit; iis adhibitis et Vitebergae latitudinem primi exploraverunt et multas observationes fecerunt, „quibus moti“, ut ipse ait, „Copernicum magis admirari et amare coeperunt“ [4]). Huius vero novum mundi systema quod postea innotuit, Melanchthonem non probasse constat. Systema Ptolemaeum retinuit simul cum astrologicis, quos

1) XI 288. Cf. VII 500. Camerar. vita Mel. p. 70.

2) Sufficiat hoc loco afferre praefationes Melanchthonis ad opera astronomica scriptas C. R. II 530. 814. III 115. 400. VII 405. 950. VIII 61.

3) C. R. XXIV 869.

4) XI 839.

frustra Lutherus amice deriserat, erroribus. Hos cum multis praestantissimis illius aetatis viris communes habebat. Et, ut fit inter mortales, in animo eius arctissime cohaerebant cum magna et ingeniosa divinatione „sympathiae“ cuiusdam, universam rerum naturam permeantis et ad organicam unitatem coniungentis. Quare physico sensu verum neque incommode dictum esse ait Manilii versum illum:

Materiaeque datum est cogi sed cogere mundo.

Huic igitur sympathiae quum iure quodam universum quoque genus humanum includat, perperam ad astrologiae figmenta eam deflectit. Fati necessitatem ita removeri posse censet, ut tum Dei providentia harmoniam illam esse constitutam, tum Deum non esse causam mali teneatur [1]).

Summum vero Melanchthonis de doctrinis physicis meritum in eo positum est, quod quavis data occasione earum iucunditatem, dignitatem, necessitatem diserte exposuit itaque inter tot omnium gentium homines, qui eius vel sermonem audiebant vel scripta lectitabant, plures sine dubio, quam vulgo putatur, ad haec quoque studia instigavit. Quanto etiam id animi ardore egerit, ex verbis eius infra positis apparebit.

„Physicen laudabimus, quae universam rerum naturam scrutatur, siderum motus ac vires, plantas, animantia, mirabile opificium humani corporis, causas generationum et corruptionum. Ac sapientissimi viri multa colligunt, quare harum tantarum rerum cognitio maxime homini expetenda sit. Sed nos uno Virgilio contenti erimus, qui honorificentissimo praeconio hanc doctrinam ornavit quum ait:

Felix qui potuit rerum cognoscere causas. —

Sed iacent etiam hae maximae ac pulcherrimae artes spretae atque contemptae. Qua in re illud est praecipue dolendum, quod non tantum illitterati hanc doctrinam aspernantur, sed vel maxime oderunt eam ii qui doctrinae

1) XII 513. Cf. VII 472.

fama ac titulis se ad populum venditant, quum quidem eas ipsas artes, quas profitentur, sine hac parte philosophiae tueri nullo modo possint" [1]).

„Quis est tam ferreus, quem si in theatro sedeat, quum ludi fiunt, non aliquando incessat spectandi cupido? et quum nullum spectaculum, nulli ludi plus voluptatis aut utilitatis adferre spectatori possint quam haec naturae varietas, mihi rectius viva cadavera quam homines videntur appellandi hi, qui neque mentem neque oculos ad naturae considerationem convertunt." „Aedificium hominis aspici oportet. Videmus singulas partes ad ordinem et modum certum factas esse. — Vos adhortor ut iam mentes vestrae ipsum hominem intueantur, et in partium substantiis dissimilitudinem contemplamini. Stat cerebri fastigium et suas habet cavitates spirituum plenas perinde ut hoc coelum ambiens molem reliquam universam. Natura etiam cerebri similis est coelesti. Et fiunt in eo actiones mirandae, cognitio, ratiocinatio, conservatio imaginum in memoria, recordatio. Non coeli puritas, non stellarum fulgor, non solis claritas vincit hanc flammam." „Sua cuique naturae propriissima actio iucundissima est; ut nare piscibus, modulari lusciniae, ita homines magna voluptate affici necesse est, quum naturam totam rerum adspiciunt, quum numerorum et magnitudinum proportiones deprehendunt, quum vident omnia certa lege condita esse, ut nos de Architecto admoneant. Ad hanc considerationem quum nati simus, necesse est eam voluptati esse non monstruosis, non distortis naturis." „Nec mihi iniuria Plato dixisse videtur, non homines sed suillum pecus esse, quicunque nullo huius artis studio tenentur. Et sensit Manilius, quandam divinitatis similitudinem esse, illarum rerum notitiam potuisse consequi." „Per hanc educationem, hanc disciplinam, seu facilem seu difficilem, ire necesse est, nec fas est, ut idem

1) X 906.

Plato ait, negligere Deum, qui gratam de se famam in his artibus humano generi tribuit" [1]).

„Et meam et omnium ignaviam deploro, omnes enim sumus negligentiores in aspicienda natura et hoc theatro Dei contemplando quam oportebat; quum quidem et Deus ad hoc studium nos invitet et nihil hac cogitatione dulcius sit et valetudini ac vitae haec diligentia plurimum profutura esset. Quanquam autem nemo satis intentus spectator esse naturae potest, tamen omnia bona ingenia hortanda sunt ad hanc considerationem dignissimam homine: imo quum et Deus eam praecipiat, ipsum quoque naturae conditorem oro, ut multorum flectat mentes ad hoc studium et exsuscitet eas, ut in hac consideratione ipsum quoque agnoscant, venerentur et celebrent" [2]).

Ut in disciplinis philosophicis atque physicis, ita in scribenda historia veteres pro optimis magistris habuit. Quam praeclara huius quoque artis imago animo eius obversata sit, verba quaedam ostendunt praefationi, quam in chronicum abbatis Ursbergensis a se editum scripsit, inserta. „Magnum, inquit, et difficile opus est, integram historiam recte scribere, et haud scio an inter eloquentiae opera omnium longe difficillimum. Facilius est tales commentarios (de chronicis medii aevi loquitur) excerpere, sed tamen eligere ea, quae plurimum habent ponderis, intelligere consilia atque occasiones negociorum, hominis est non solum non hebetis, sed etiam usu periti et versati in republica, et haec apte distribuere et dilucide recitare nemo nisi liberali doctrina excultus potest" [3]). Alias historiam picturam generis humani nominat. Sine eius cognitione vitam humanam aliud nihil esse dicit quam perpetuam quandam pueritiam, imo vero perpetuam caliginem ac caecitatem [4]).

---

1) XI 114. 943. seqq. 297. seq. 249. seq. (cf. XVIII 182).

2) XI 827.

3) III 217.

4) IX 1076. XI 862.

Quam diversa studia historiae subsidio esse debeant, saepius admonet. Et primum quidem opus esse geographia; terrae magnitudinem et regionum situs nescire esse suam domum ignorare. Nam si infinita moles cogitaretur, si nesciretur ubi prophetae, ubi Christus concionatus sit, quantae essent animorum tenebrae. Quare etiam tabulas cosmographicas utilissimas esse adnotavit. Tilemannum Stellam Sigensem, quum, tabula exitus ex Aegypto et oppidorum Palaestinae edita, iam aliam totius Germaniae tabulam edendam pararet, Wilhelmo Principi Hassensi commendavit eumque, ut illius labori faveret, impense rogavit[1]). Praeterea chronologiam ostendit accurate definiri non posse, nisi astronomicis calculis,[2]) quibus et geographo perquam opus esset, adhibitis. Chronica veterum colligenda et edenda ipse curavit; etiam inscriptiones et diplomata, quae vocant, inspicienda atque examinanda esse passim significat[3]).

In universa hac quoque eruditionis parte et multorum labores fovit, commendavit, librorum praefationibus ornavit, et adolescentibus imprimis utilis esse studuit. Quare non tantum usque ad ultimum vitae annum historiam publice docuit, sed etiam discipuli sui Carionis Chronicon primum Germanica, deinde Latina lingua ita emendavit, auxit, retexuit, ut novum prorsus opus evaderet. Quod postea a Peucero perfectum per longum tempus et apud plures gentes pro optima historiae epitome habebatur[4]). Multa praeterea minora scripta historica et Latine et Germanice composuit. In quibus quamvis multa quasi puerilem adhuc etiam huius doctrinae aetatem prodant, tamen alia insunt, quae iam apud Melanchthonem inveniri haud pauci forsitan

1) XI 656. IX 481.

2) X 747. XI 162. 281. seq.

3) Cf. II 679. XII 385.

4) Iam prior atque imperfectior quaedam editio Melanchthone adhuc superstite quater Parisiis, bis Venetiis, bis Lugduni Batavorum recusa est. C. R. XII 708.

mirabuntur. Sic verbi gratia iam diversa gentium ingénia describere et quid peculiaribus suis vel virtutibus vel vitiis ad perficiendam magnam illam quam dicit universi generis humani imaginem contribuerint, perscrutari incipit. „Non solum singuli, inquit, sed etiam gentes universae, nisi divinitus regantur, evangelium inflectunt in suas naturas. Graecis ingeniis blanditur concinnitas opinionum et artium metis inclusae explicationes: plus igitur in hoc genere callidarum disputationum fuit et saepius doctrina evangelica in philosophiam transformata est.“ Similia exempla de Aegyptiis, Syris, Afris, Romanis ex historia ecclesiastica strictim repetit. Libentius vero quae in natura a Deo condita et gubernata bona rectaque sunt describenda sibi eligit laudibusque effert. „Nonnulli, inquit, sunt ingeniosi in alienis vitiis insectandis; quidam etiam ex criminatione aliorum gravitatis famam aucupantur. Ego liberalis ingenii esse duco, magis commemoratione virtutum alienarum delectari“ [1]). Hoc animo diversissimos homines, veteres philosophos, martyres, patres, reges, viros in omni artium litterarumque genere eximios, etiam Saracenos, cum ingenua quadam benevolentia brevi depingit [2]). Eodem sensu etiam de universis gentibus agit idque a minoribus ut ita dicam gyris ad maiores proficiscens. Nam in diversis Germanorum stirpibus iam diversas animi dotes atque naturas agnoscit et praedicat. Sic de Rodolpho Agricola loquens: „Frisia, inquit, ut olim magnitudine rerum gestarum floruit, ita nunc quoque gignit ingenia nequaquam vulgaria, sed cum ad litteras tum ad gubernationem magnarum rerum idonea, et ut mihi videtur non tantum sagacia et sana, sed etiam ingenuitate et animi celsitudine singulari praedita.“ Suevorum et Franconum singula encomia scribere non eum piguit. Etiam liberis

1) XII 202. XI 374.

2) Cuius rei exempla plurima inveniuntur C. R. XI, XII. — De Alfragano et Avicenna Saracenis cf. XI 531. seqq. 826. seqq.

urbibus Hamburgae, Lubecae, Norimbergae suam cuique laudem tribuit. Haec omnia quasi confluunt in definiendis universae Germaniae viribus et officiis. Ex libertate atque sinceritate Germanis propria ipsam ecclesiae reformationem derivat. Simul vero ubique terrarum in omnibus gentibus Dei dona quaerenda et agnoscenda esse iudicat. Angliae gratias refert, quod inde litterae, armis Gothicis fere exstinctae, in totum orbem iterum propagatae sint. In pulcherrimo Francogalliae regno tanquam summum eius decus principem academiam orbis terrarum, quae quondam etiam Italiae antecelluerit, celebrandam putat. Ad Venetos quosdam evangelio addictos scribens, quid in republica eorum laudabilius sit memorare non praetermittit. Florentiam tanquam artium et praecipue graecarum litterarum patronam describit. Romam urbem captam et crudeliter vastatam esse quum summa indignatione audierit, licet eius pravitatem atque corruptionem severe castiget, tamen et eorum, quibus bene de gentibus meruerit, non obliviscitur. Quin imo in ipso illo dono gubernandi, quo pontifices perperam saepe usi sunt, boni aliquid agnoscit, adnotans non solum celsitudinem animorum esse in Italis et dominandi cupiditatem, sed industriam etiam utilem in gubernatione. Neque omittit res externas, quae inde a Gregorii I. temporibus in Pontificibus ingenium illud dominandi fovebant atque excitabant. „Multum eos, inquit, et umbra dignitatis, quam adhuc utcunque urbs Roma retinebat, adiuvit, et Italiae populi, quum Graecos imperatores et exarchas iuste odissent, intuebantur illam veterem arcem Romam et auctoritate Pontificum peregrinos reges placare studebant“[1]. — Quam diligenter etiam in veteribus Romanis, Graecis, Ebraeis divina dona, totius generis humani commodo inservientia, quaesierit, supra tetigimus.

---

1) XI 439. 374. seqq. 383. seqq. III 464. 115. XI 108. seq. 374. III 748. XI 109. 130. seqq. XII 202. seqq.

Singulariter vero ea nobis grato animo memoranda atque illustranda sunt, quibus Melanchthonem de Germanorum historia optime meruisse apparet. Haec studia quod excitaverit, „id illi inter cetera beneficia debere Germaniam", iam Leibnitius adnotavit[1]); addens summa illum industria quatuor gravissimi momenti chronicis typis excudendis primum operam navasse[2]). Etiam Taciti Germaniam Melanchthon pluries edidit et „vocabula regionum et gentium quae ab illo recensentur", inter primos explicare conatus est. Denique ad haec quoque studia (id quod et idem Leibnitius non praetermittit) hominum animos instigare studuit assidua hortatione. Cuius rei exemplum haecce verba afferimus. „Merito nos magis nostra quam externa movent; nam ingratitudo quaedam est, tantum peregrina et procul adscita admirari, sua ac domestica negligere. Quemadmodum enim quidam homines hoc vitio oculorum laborant, ut tantum quae procul posita sunt videant, proxima vero quaeque ante pedes sunt sita non animadvertant: ita quidam hoc animi morbo affecti sunt, ut nihil ament nisi peregrinum et procul petitum, fastidiant atque aspernentur quidquid vernaculum et domi natum est. Qui vero rectius mente valent, hi sua primum bona agnoscunt et amplectuntur. — Est vero operae pretium videre, quanta fuerit simplicitas, probitas et humanitas veterum Germanorum, quorum facta, si litteris prodita ab historia lucem accepissent, ut quae a Romanis et Graecis gesta sunt, cum utrisque haud dubie essent omni genere praestantissimarum virtutum certatura." Et alio loco: „Turpe, inquit, est nobis,

---

1) In introductione ad script. hist. Brunsvic. Cf. Hoffmann, Melanchthon's Verdienste um die deutsche Reichs- und Staatsgeschichte. Tub. 1760. p. 29. seq.

2) Sunt Naucleri, Lamberti Schafnaburgensis, Abbatis Ursbergensis, Phil. Helmoldi (Chronica Slavorum).

quum in aliarum gentium rebus gestis inquirendis tam curiosi simus, domesticas ignorare" [1]).

In his quoque, quantum discrepet Melanchthon ab Erasmo, satis manifestum est. Erasmus enim, quamvis Germaniae decus nominari amaverit, tamen ab ardenti patriae amore alienissimus erat. Mundi se civem esse dicebat. Melanchthon, licet et ipse sensu quodam mundi civis, simul patriae amantissimum se praebuit. Quare verborum, quae id testantur, nonnulla colligere, haud absonum ab hoc loco esse mihi videtur. Ita enim clarius patebit, quo erga patriam animo et ea, de quibus nunc diximus, studia et alia cuncta exercuerit. „Sunt, inquit, propriae quaedam dotes ut aliarum gentium ita Germanorum. Existimantur esse aperti, ingenui, amantes candoris et veritatis, constantes, tenaces promissorum, reverentes religionum, excellunt fortitudine et imprimis delectantur gloria militari, abhorrent a crudelitate et a foedis libidinibus." „Quum haec natio minimum habeat servilium ingeniorum, in studiis quoque ostendit ingenuitatem, odit sordes et aucupia quaestus in litteris ac plurimi amplectuntur honestas artes doctrinae ac veritatis amore." „Chalcondylas, civis Atheniensis, de Germanis: Nullam, inquit, novi gentem, cuius mores sint honestiores, qui si concordes essent, essent invicti." „Odia debent abesse a Germanis, quos ipsa appellatio Germanitatis cum ad candorem tum ad fraternum amorem adhortatur." „Nos Germani nostrum nativum candorem, naturam apertam, veri rectique ac lucis amantem, velut sanguini nostro generique tueri ac conservare debebamus, et si quem inter nos ingenio tecto, obscuro, perplexo, ambagum et tenebrarum amanti esse videremus, eum ut degenerem ac nothum odisse atque detestari" [2]).

Sed bene videt Melanchthon quantum desit ut Germani

---

1) XI 467. cf. 163. 306.

2) XI 387. 395. XII 155. XI 397. 477.

tantas illas laudes pro virili parte tueantur. „Quae est gloria patriae si figmentis celebratur?" Hanc quaestionem, quam speciali sensu iuveni cuidam proponit,[1]) generaliori sensu ipse animo semper quasi praesentem habet. Saepe deplorat praesentem Germanicarum rerum statum; quidquid patriae turpe evenit, tanquam propriam calamitatem sentit. „Brevi, inquit, mira est facta huius nationis mutatio, negligitur res militaris, litterae non solum spernuntur sed etiam sunt in odio." „Veneno peregrinarum ac pessimarum gentium nostrorum hominum ingenia inficiuntur." „Videmus hoc seculum nulla re magis laborare quam quod potentiorum aures non modo linguam liberam, sed ne cogitationem quidem libertatis memorem ferre possint." Auditis iis, quae Roma capta Germani milites turpia commiserant: „Nunquam antea, inquit exclamans, captis urbibus perinde polluta sunt ac profanata omnia sacra. Nunquam antea in Germanico milite notata est avaritia, nunquam sacrarum ac divinarum rerum similis contemptus fuit. — Quis toto Veneto bello a Maximiliani exercitu unum oppidum audivit direptum esse? Nemo profecto." Addit exemplum quoddam summae severitatis, quo ille, alias lenissimus, ostenderit, „non omnia victoribus militibus in victos licere"[2]).

Idem acerrime vituperat Germanos, quod Livonios, et coloniarum et ecclesiae foederibus ipsis coniunctos, contra Moscovios, crudelissimos atque barbaros hostes, non defenderint,[3]) quod foedissimo ingratitudinis exemplo Hungaros, fortissimos propugnatores suos, a Turcis ferocientibus opprimi passi sint;" „Germaniae maxime Europae reliquae defensionem esse sustinendam"[4]). „Optarim, inquit, Germa-

---

1) I 928.
2) XI 368. 477. 402. XI 134.
3) XX 824. (cf. IX 717. seq).
4) XI 567. III 794.

nicos principes et in inquirendis historiis Turcicis diligentiores et in defensione patriae coniunctiores et acriores esse." „Regat Deus eorum animos, ne aut odiis aut ambitione incensi patriam dilacerent; sed ut vere cognati, ita sint inter se vere Germani, non fucata benevolentia sese mutuo complectentes, et saluti communi Germaniae et vicinarum gentium consulant." „Quid magis heroicum quam quod Hector ait:

εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνασθαι περὶ πάτρας,

unum auspicium felicissimum, fortiter depugnare et honeste cadere pro patria? Quam sententiam si ob oculos et in animis scriptam hoc tempore principes haberent, non vidissemus Turcas toties iam Germaniae et Christiano orbi ita impune insultantes, nec eorum adventum adeo perhorrescеremus." Idcirco et „veteres Germanicos heroas, Carolos, Henricos, Othones, Fridericos" in populi sui memoriam revocat, et Taciti de Germania libellum adolescentibus proponit, ut patriae amor in eorum animis accendatur et „honesta exempla maiorum acerrimos addant stimulos generosis naturis"[1]. Hic id quoque memoratu dignum videtur, quod iam Melanchthon magnam futuri temporis spem cum duobus maxime veteris memoriae nominibus coniungit, quae postea simili sensu saepius resuscitata sunt, Friderici Barbarossae et Arminii. Spes pro illorum temporum conditione ea est, fore ut a Germanis Turcae e sedibus suis depellantur et Graeci liberentur. Sic apud Melanchthonem, humaniorum litterarum cultorem, etiam alter ille Arminius fit Graecarum artium restitutor. Sed ipsius verba infra ponimus.

De Friderici Barbarossae rebus gestis locutus: „Nunc videtis, inquit, quanto in periculo simus, quia diu neminem similem custodem imperii huius habuimus. Intelligitis quam optandum sit Fridericum aliquem exoriri, cuius nomen

---

1) XII 86. XI 402. 477. III 565. seq. (praef. in Tac. Germ.)

hostibus terrori sit, quique opponere immanissimae genti praesidium ausit. Si Fridericus ille reviviscat, non de Hungaria vastanda, non de vexanda Germania iam barbari cogitent, sed de retinenda Thracia, deque focis ac laribus suis propugnandis: siquidem Germanicis copiis iam, ut fuit illius et celeritas et diligentia, circumsessi summa vi oppugnarentur"[1]). — Ex carmine quod Melanchthon de Arminio composuit, hi versus digni sunt qui afferantur:

Numquid, ubi Arminii relegis, Germania, laudes,
  Te pudet atque animos ira dolosque subit? —
Dedecus an tantum ferret? Scythicumque furorem
  Arminius lento corde videre queat?
Non audax signa inferret pulsoque latrone
  Poneret in Graio clara tropaea solo?
Oppressasque diu leges renovaret et artes,
  Antiquum ut Graecis redderet ipse decus?[2])

Hunc patriae amorem saepius monet Melanchthon ab ipso Deo humano pectori insitum esse. De eo quoque valet quod contra Stoicos dicit, affectus tollere esse naturam tollere[3]). Quare si poëta generosum virum velut aquilam describit, cui omnis terra sit patria:

ἅπας μὲν ἀνὴρ ἀετὸς περάσιμος·
ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς —

hanc ipse ait ferrei animi vocem esse neque recte fieri collationem illam hominis cum aquila, nos enim ad societatem esse natos[4]). Ut vero nativa parentum erga pignora pietas Melanchthoni quasi signum et expressa imago est illius amoris, quo Deus filium suum et redemptum per

1) XI 377. seq.

2) XVII 637. seq. Hoc carmen addidit Melanchthon libro Taciti de Germania et Huttenico dialogo, qui Arminius inscribitur, iunctim editis.

3) XII 510.

4) Epp. ed. Lond. lib. III 83 p. 550. Est epistola ad Crucigerum scripta, sine die et anno, sed sine dubio ex fuga a. 1547 scripta. Deest quantum video in Corpore Reformatorum.

eum hominum genus amplectitur, ita terrestris patriae dulcissima consuetudo mortales praeparare quodammodo ei videtur, ut coelestem patriam in ecclesia patefactam quaerant ac diligant, praesertim quum et respublica sine religione consistere non possit et ubi patria defenditur, non pro focis solum sed etiam pro aris dimicetur. Quare ecclesiae universitas et peculiaris reipublicae proprietas non tollere se invicem sed conservare et fovere debent. „Coelestis patria expetenda et tamen interea sua cuique Sparta ornanda est“ [1]). Et urget divina quaedam necessitas etiam invitos, ut res ad communem omnium salutem spectantes aliquatenus curent. Enimvero „furiunt, qui publicas ecclesiae et imperiorum quassationes nihil ad se pertinere existimant. Experientia nimis verum esse testatur Solonis versum qui ait:

Intrant in thalamos publica damna tuos [2]).“

Primum ipsa domus vel familia, nisi sanctitatem eius publicus quidam ordo tuetur, in societate humana vere servari non potest; eadem vicissim (id quod Melanchthon saepissime monet) quasi seminarium est ecclesiae et reipublicae. Deinde simile aliquid de omnibus artibus doctrinisque et de scholis, in quibus traduntur, dicendum nobis est. Neque enim sine religionibus et legibus publice sancitis nasci et florere possunt, et ipsae rursus ecclesiae et reipublicae inserviunt. Hoc Melanchthonem non in umbra scholae sed plenissima vitae experientia perspexisse supra diximus. Nunc id quoque demonstrare possumus, quam digno et vere liberali modo coniunctionem illam doctrinae cum vita cogitet atque repraesentet, non ita nimirum quasi ad humaniora studia usus quidam, ad quem inflectenda sint, extrinsecus afferatur, sed ita ut appareat, ad proprium eorum iisque quasi insitum finem nonnisi inita illa cum

---

1) C. R. III 567. cf. XI 234.

2) XI 666.

vita coniunctione perveniri posse idque simul ad ipsius vitae perfectionem esse necessarium. Haec ita nobis sunt explananda, ut eas universitatis litterariae partes, quae theologiae, iurisprudentiae, medicinae nominibus comprehenduntur, mente percurramus. Iam audivimus Melanchthonem dicentem, iis quae apud Aristotelem inveniantur quasi fastigium imponi a iurisconsultis et medicis; idem alia ex parte a theologis fieri statuit. Inde exordiamur.

Quidquid veri atque divini humanae artes atque doctrinae consequuntur, id Melanchthon Legis nomine complectitur. In universa rerum natura, in humanae societatis ordine atque institutis, in uniuscuiusque hominis, ad Dei imaginem creati, indole, cum in corpore tum in anima, lex divina manifesta est, cuius quasi radios mens nostra, dum se ipsam et mundum contemplatur, in unum colligit. „Magna autem dignitas est hominis, quod mentes humanae sunt velut speculum, in quo fulget sapientia Dei, videlicet sapientia legis.“ Et ipsa philosophia, omnium artium doctrinarumque conciliatrix et interpres, sensu quodam „pars est legis divinae; est enim ipsa lex naturae ab ingeniosissimis hominibus animadversa atque ordine explicata.“ Caute vero addit „sciendum esse, philosophiam esse non omnes omnium opiniones, sed certas notitias, quae sint demonstrationes aut earum membra, id est, principia vel conclusiones.“ Itaque dicit, eum qui in sacris scripturis discrimen Legis et Evangelii intelligat, facile iudicaturum esse „quid intersit inter Philosophiam et Evangelium“[1]). Etenim lex naturalis vi et effectu legis in veteri testamento revelatae consimilis est. Proponit homini aliquam Dei notitiam eique obediendi debitum. Hunc enim finem esse humanae vitae aliquatenus etiam philosophi cognoverunt. „Merus furor est palam tollere hunc finem, quasi ex natura deleri possit,

---

1) Cf. de his XVI, 21—23.

qualis est amentia Epicuri, et huius generis imagines proponuntur in poëmatis, ut apud Euripidem ait Cyclops:

Non ulla numina expavesco coelitum,
sed victimas uni Deorum maximo,
ventri, offero, Deos ignoro caeteros.

Ita poëtae quum tribuunt contemptum Dei talibus personis degenerantibus a natura hominum, significant hoc vitium praecipue cum natura hominis pugnare"[1]). Hoc igitur iam ipsa lex naturae nos docet. Sed non potest facultatem atque vires nobis impertire, quibus vere Deum diligamus, omnem fiduciam in eo ponamus eumque spiritu et veritate adoremus. Has tantas res solum evangelium efficit.

Id ut conspicuum sit, Melanchthon saepissime consolationes philosophiae cum consolationibus ecclesiae comparat. Idque aptissime, quum et in veteri philosophia et in ecclesia semper officii esse existimatum sit, optimum infelicibus atque miseris solatium praebere. Examinat igitur diversos locos, a quibus philosophia expetivit consolationes, sicut a necessitate, a dignitate virtutis, a bona conscientia. Ostendit passim, quamvis insit in iis aliquid veri quod etiam a Christianis retineri possit, tamen non sufficere illa omnia ad vere consolandos miseros, sed sine spe et fiducia Dei esse meros ἰαλέμους id est cantica mortuorum: „ist kein rechter Trost, gibt kein Leben noch Freude", ut vernacula lingua addit. „Philosophica patientia est in aerumnis obtemperare rationi, ne quid contra decorum faciamus aut contra iustitiam propter dolorem animi. Longe maius aliquid est patientia christiana, quae est obedire Deo nec propter dolorem facere aliquid contra Deum aut contra mandata eius, et est fiducia praesentiae Dei petere et sperare a Deo mitigationem aut liberationem." Philosophia ait: „Dignitas virtutis debet eminere, obedientia, constantia; non debes consciscere tibi mortem:

1) XVI 29. seq.

Perfer et obdura, dolor hic tibi proderit olim.

So macht's Ovidius. Aber Eobanus in psalmo 42. macht's anders:

Perfer et obdura, domino confisus; ab illo
iam veniet certo reddita fine salus" [1]).

Quod si quaeritur, quomodo tantas res evangelium efficiat, Melanchthon simpliciter respondet, id fieri „remissione peccatorum gratis donanda propter filium Dei." Hac hominem, utpote qui peccator sit, ante omnia egere, hanc neminem nisi ipsum Deum dare posse, haec ubi fide accipiatur, hominem iustificari et regenerari. „Ea notitia non est orta ab humanis mentibus, imo procul extra conspectum humanae rationis posita est, sed filius Dei qui est in sinu patris eam patefecit." Sic igitur „iuxta evangelium finis hominis est, agnoscere Christum filium Dei et accipere oblatam misericordiam et glorificare Deum eique obedire. Tamen ita proponitur in evangelio finis Christus, ut in eo Deus apprehendatur et vere agnoscatur: ergo evangelium etsi concionatur de agnitione Christi, tamen complectitur etiam finem in lege (et veteris testamenti et naturae) propositum" [2]). Supra autem vidimus, ex Melanchthonis sententia tum argumentum philosophiae nihil aliud esse nisi universam legem naturae, tum physicarum legum finem et quasi fastigium esse legem moralem. Quod si evangelii finis complectitur finem legis, assequi evangelii finem simul est summum philosophiae finem assequi. Et Christus, qui non ut solveret sed ut impleret venisse se dixit, quum universam legem impleret, simul philosophiae veritatem implevit. Qui vero somniant, ipsum evangelium nihil esse nisi legem perfectiorem et ita differre a philosophia, ut, „quum utraque doctrina sit lex de moribus, evangelium addat quasdam leges de externis operibus, qualis sit, non esse vindicandum, et similes quasdam", hos Me-

1) Cf. XXIV 155—158. XXV 490—493. 829—833. Haec omnia ex ore Melanchthonis calamo excepta sunt.

2) XI 425. XVI 29. cf. 22.

lanchthon ineptissimos esse dicit, quippe qui et quid evangelium et quid philosophia sit, ignorent[1]). Saepius innuit, recte demum cognito Christo tum legis divinae tum philosophiae indolem, vim, usum et dignitatem recte cognosci[2]). Quae congruunt cum Clementis Alexandrini sententia dicentis, Iudaeum et Graecum tunc demum, quum ad Christum se converterint, illum legem, hunc philosophiam suam funditus intelligere.

Ex his igitur principiis Melanchthon perspicue ubique et constanter de omnibus iudicat, quaecunqne in artibus doctrinisque praeclara Gentiles praestiterunt. Hos aequiparat quodammodo Iudaeis, qui in sola lege inhaerescebant, ita tamen ut neque praestantiam legis moralis vetere testamento manifestatae praetermittat, neque maiorem culpam atque perversitatem eorum, qui inter Iudaeos, repudiatis divinae gratiae atque misericordiae promissionibus, in sola lege spem suam fiduciamque ponerent. Namque promissiones illae vera salutis per Christum afferendae praeparatio erant et, ubicunque fide apprehendebantur, cum credentibus coelestem quandam spiritus divini vim communicabant, qualem David vel prophetae grato erga Deum animo gloriantur. His vero nihil simile in Gentilibus Melanchthon conspicit. Quanquam enim „gratam illam de Deo famam" in artibus doctrinisque sparsam et desiderium quoddam divinae vitae passim a veteribus expressum libentissime praedicat, tamen nusquam tales *λόγου ἀσάρκου* manifestationes agnoscit, quales magni illi ecclesiae Alexandrinae patres aliquantulam evangelii quasi anticipationem fuisse existimaverunt. Semper philosophiam legi tantum, non evangelio „affinem" esse asseverat, hac in re etiam Erasmi dissimilis[3]). Gravissime denique eos castigat, qui „ipsum evangelium

1) XII 689.

2) Cf. de philosophia C. R. X 690; de lege loc. theol. X (de discrimine V. et N. Testamenti).

3) Cf. C. R. XVI 22. Erasmi opp. I 573. seq.

transformant in philosophiam seu doctrinam rationis humanae." Hos enim „offundere caliginem evangelio, imo obruere ac delere evangelium." Eadem via Iulianum Apostatam incessisse adnotat, qui, quum ita acciperet scripturam, „quasi nihil aliud doceret nisi rationis humanae doctrinam", „Christianos arguerit inscitiae, quod male intellectis figuris scripturae absurda dogmata peperissent" [1]).

Ingeniosissime vero ostendere studet, ipsam rationem, ubi sobria sit, non ignorare scientiae humanae terminos atque carceres. „Philosophia, inquit, quasi attonita miratur unde sit tanta imbecillitas in natura hominum." „Unde exsistit haec non levis sarcina vitiorum? unde tam foedae cupiditates repugnantes iudicio mentis? Unde tantum calamitatum in hac vita? Cur, quum ceterae res, coelum, terra, plantae, animantia, suis quaeque legibus obtemperent, solus homo a se ipso dissidet, solus oppressus est tantis aerumnis, ut eas nullae tragoediae satis deplorare possint? Cernit philosophia hanc labem humani generis: sed nec unde sit, nec quae sint remedia ostendit." Et alias expositis iis argumentis, „quibus moti saniores philosophi sentiant immortalitatem animarum": „Hucusque, inquit addens, procedit philosophia; aliquid auguratur et habet coniecturam aliquam de immortalitate quantulamcunque et qualemcunque." „Fatetur philosophia suas tenebras et tamen agnoscit aliqua certa doctrina opus esse de immortalitate hominum, de Deo placando, de invocatione Dei, de praesentia Dei in omnibus aerumnis, de vita aeterna" [2]). Itaque ea, quae ipsa philosophia desiderat, affert atque suppeditat evangelium.

Quod vero inter ea, quae, ut ait Picus Mirandolensis, philosophia quaerit, religio possidet, primo loco Melanchthon

---

1) C. R. XI 425. XII 689.

2) XI 658. 585. seq. XXIV 700. seq.

saepius immortalitatem animae et vitam aeternam nominat, id inde maxime derivandum est, quod plurimum apud eum pollet causarum finalium quae dicuntur gravitas. „Cogitent, inquit, bonae mentes quid requirat notitia finis.“ Si quis dicat, universam hominum societatem cum tot „vitae gradibus et artibus“, cum tanta „officiorum atque munerum varietate“ ad eum finem referendam esse, „ut in vita tranquilla suaviter fruamur voluptatibus ac paulatim nativo colore deflagrante sine spe immortalitatis placide putrescamus“, „haec oratio plena turpitudinis ac sceleris est.“ Homo, si meliorem naturam suam sequitur, Deum et initium et finem sibi proponit, ut ait Nazianzenus:

ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποιεῖ θεόν [1]).

Atqui repugnat rationi, hominibus, non data immortalitate animae, finem proponi, quem neque singuli neque universum genus assequi unquam valeant. Congruit ergo cum ratione ea spes, quam pietas certissima fiducia amplectitur. Perfectionem autem in plenissima coniunctione cum Deo quaerendam Melanchthon ut voluntati ita intellectui hominis proponit. Quare quum paucis diebus ante obitum in schedula quadam ea, quae sperabat, aliquot lineis significaret, non tantum scripsit „se discessurum esse a peccatis“, sed etiam se perspecturum „illa mira arcana quae in hac vita intelligere non potuerit; cur sic simus conditi; qualis sit copulatio duarum naturarum in Christo“ [2]). Inter haec mira etiam ea omnia retulit, quaecunque in contemplanda rerum natura scientia physica, quantumvis procedat, pernoscere non potest. De his quoque ipsum Melanchthonem loquentem introducimus: „Mirandum, inquit, opus Dei est tenebrarum et lucis distinctio, et oculis hominum vis cognita lucis. Hic quae causae monstrari possunt, cur hae pelliculae, nervi, humores domicilia sint lucis et velut sol

1) XI 607. XVI 29.
2) IX 1098.

in humano corpore? — Est et singulare Dei opus sensus musices in homine et diiudicatio sonorum. Sic condita est natura, ut certos vocum gradus, metas, intervalla sentiat, suaviter afficiatur concinnis vocibus, offendatur contrariis; imo quantum miraculum est, aliis harmoniis alios seu cordis, seu spirituum motus excitari? Alexandrum certi cantus accendebant, ut arderet pugnandi cupiditate: flectebant alii rursus ad lenitatem et quietem. Quomodo intelligemus feriri animos his in aëre motibus? — Foris utcunque mirandum adspicimus et eius beneficio fruimur: sed causas penitus non videmus, quas tamen in illa coelesti Academia discemus, quum ideam totius opificii in mente divina intuebimur.“ Similiter, de magnis atque diversis Iohannis Regiomontani summi astronomi operibus locutus, quum etiam pietatis christianae, quae in eo perinde ac postea in Copernico, Keplero, Newtonio elucebat, mentionem fecerit et consentaneum esse adiecerit, tales viros, qui ubique vestigia divinitatis impressa rerum naturae videant, his testimoniis valde moveri: „nunc, inquit, Regiomontanum existimemus in ipso Deo cernere ideam totius mundi et causas, cur hoc modo omnia condita sint“ [1]).

Deus vult huius ultimi finis celsitudine praesentia studia nostra non deprimi sed resuscitari [2]). Idque cum ad physicas doctrinas tum ad theologiam valet, quae licet in altissimis mysteriis divinis versetur, nihilominus ad ea explicanda omnes humanae mentis vires intendere debet. Id ut fieri possit primum quidem opus est fide, quae evangelio in ecclesia sonanti assentiatur. Nam ii tantum qui redemptionem in Christo factam desiderant, quaerunt, accipiunt, qualis illa sit vere iudicare possunt. Quare Melanchthon vult omnem theologum testem esse, testem nimirum eorum, quae, adiuvante Dei gratia, fide atque vita expertus

1) VII 529. XI 825. cf. XIII 65.
2) VII 529.

est. Sed ut scientia eius talis evadat, qualem in his ut in aliis rebus postulat artis doctrinaeque forma a Deo humanae menti insita, accedat necesse est linguarum et dialectices studium. Sacra scriptura enim alienis linguis scripta est. Translatio vero, etiamsi felix est, „semper aliquantulum degenerat" et „saepe, ut in pictura quae umbras tantum imitatur corporum, obscurius reddit sententias." Quare et Lutherus impense id hominum animis inculcavit, pernecessaria esse ecclesiae linguarum cognitionem; qui quam saepe, quam graviter ad earum studium hortatus sit, quam praeclaro exemplo in ea re ceteris praeiverit, Melanchthon etiam plures annos post eius decessum aequales admonuit[1]). — Deinde ut doctrina evangelica rite et disposite secundum leges humano intellectui a Deo inditas exponatur, adversarii eius quique eam corrumpunt atque deformant refutentur, ingenia philosophiae disciplina erudienda atque exercitanda sunt. Itaque theologus „debet esse grammaticus, dialecticus, testis."

Haec tamen ne quis ita interpretetur, quasi studia ista linguarum atque philosophiae nonnisi propter usum illum peculiarem honoranda magnique facienda essent. Quae ubi tali iudicii angustia considerantur, mox prorsus despecta iacebunt et fanatici furoris cedent barbariae. Ex iis, quae e Melanchthonis sententia supra dicta sunt, satis apparet, universam mentis humanae culturam atque eruditionem bonam, necessariam, divinitus nobis delatam esse. Haec vero ut sine religione exsistere non potest neque religio inter gentes ad certam quasi aetatis maturitatem adultas sine theologia, ita vicissim theologia exsistere non potest sine universa illa mentis cultura atque eruditione. Ad id probandum Melanchthon tum ad saniorem sensum provocat, quo percipitur quantum a vera pietate abhorreat barbarica bonorum studiorum contemptio, tum ad illam omnium

1) XI 710. 739. (cf. 231.) 866.

doctrinarum artiumque communionem atque consociationem, qua divulsa et turbata, singulae earum partes propter peculiarem quendam usum retineri non possunt. Itaque theologi, licet omnes vacare nequeant omnibus studiis, tamen in cunctis suam rem agi scire debent. Quod si probe recteque tenerent, etiam omnium doctrinarum artiumque cultores, suam vicissim rem in theologia agi, magis magisque agnoscerent. — Sed his iterum propria Melanchthonis verba adiungimus.

„Perhorrescerent animi piorum, si inter pia sacra viderent aras sordibus ac coeno conspurcari. Non minus autem mali est doctrinam coelestem obruere barbarie, deleta linguarum, historiarum et artium cognitione, quam aras inter ipsa sacra polluere.“ „Leges publicae atrociter puniunt sacrilegia; at maius sacrilegium est, ecclesiam spoliare linguarum cognitione, quam aurea aut argentea supellectile.“ „Stultissime omnium sentiunt, qui hodie nihil esse pietatem nisi contemptum omnium bonarum litterarum, omnis priscae eruditionis arbitrantur.“ „Quum neminem neque plura neque meliora scire oporteat quam theologum, non convenit eum aliarum artium rudem esse.“ „Quid aliud est quam *ὄνος ἄγων μυστήρια*, qui quum sacrarum litterarum interpres haberi velit, reliquas omnes disciplinas aspernatur“ [1]). „Non potest scriptura intelligi theologice, nisi ante intellecta sit grammatice. Multae controversiae diiudicari possunt recte cognita natura sermonis et figurarum. Neque tamen de natura sermonis et de figuris iudicare poterit quisquam, nisi legerit eloquentium hominum scripta, Ciceronis, Livii, Virgilii, Terentii, Ovidii, Quintiliani. Addendi sunt et Graeci, Homerus, Herodotus, Demosthenes, Lucianus [2]). — Ad haec accedat stylus seu exercitium scribendi, quod

1) XI 658. 238. I 594. XI 162.

2) Alibi omisso Luciano Platonem et Demosthenem summa Atticae eloquentiae exempla nominat.

imprimis acuit iudicium. — Ceterum dialectica perinde opus est ut grammatica et rhetorica. Nam cum his ita coniuncta est ut divelli ab eis non possit". „Paulus praecipit verbum Dei ὀρθοτομεῖν· Id quomodo faciet, qui nullam sciet apte distinguendi et partiendi rationem?" [1]) „Plato in republica spurios philosophos appellat eos, qui sine dialectica satisfacere se aliis artibus existimabant; quare sicut spuriis non licet haereditatem petere, ita procul ab omnium litterarum tractatione praetorio aliquo edicto submoveri debebant illi qui ante irrumpunt in alias disciplinas quam hanc artem perceperint." „Quam qui non norunt, lacerant materias explicandas ut catuli panniculos, libet enim uti eiusdem Platonis similitudine." – „Ut magnum ornamentum est et vitae humanae et ecclesiae philosophia, quum recte, erudite, sobrie et moderate traditur, ita pestis est et corruptela iudiciorum, quum pro philosophia instillatur animis confusio opinionum verarum et falsarum et arcessitur studium absurda defendendi verborum praestigiis. — Talis consuetudo parit sycophantas, artium et vitae conturbatores." „In fabulis est, Ixioni, quum appetiisset Iunonem, obiectam esse nubem; ita indocti, ex falsis opinionibus ac sophisticis, gignunt factiones ecclesiae exitiosas." „Profecto periculum est fore, ut posteritas magnas poenas det spretae hoc tempore dialectices. Nam quum sine methodo theologiam et alias magnas artes profitebuntur, meri histriones erunt, nulla perfecta doctrina praediti." „Subito sicut fungi nascuntur nobis theologi, iurisconsulti et medici, sine grammatica, sine dialectica, sine ratione dicendi, sine incunabilis philosophiae naturalis et moralis" [2]).

„Sed dicet aliquis: Quid physicis et ethicis opus est ecclesiae? Haec interrogatio vere est ut olim dicebatur

---

1) XIII 757. cf. Strobel, Melanchthon's Verdienste um die heil. Schr. p. 7. seq. 144. C. R. X 909.

2) XI 161. 654. seq. XVI 7. XI 343. X 910. XI 212.

Σκυθῶν ῥῆσις. „Quantum lucis afferet sacris litteris, qui philosophorum doctrinam de moribus cum illis conferet, et ostendet quae consentiant, quae non consentiant?“ „Sed ut claudus pilam tenet, ita philosophiam moralem tractat is, quem physica destituunt.“ „Fontes enim moralis philosophiae continet physice. Et quam multa theologi disputant de rerum causis, de partibus, de fine hominis et aliis multis locis, quae explicari sine elementis physices nullo modo possunt.“ „Quoties in ecclesia controversia mota est de fato. Hic quid dicet imperitus physices? quomodo labefactabit stoicorum aut peripateticorum sententias quas ignorat?“ „Sapientissime Galenus inquit, doctrinam anatomicam initium esse theologiae et aditum ad agnitionem Dei“ [1]). — „Quid quod etiam historiae cognitione opus est theologo, in qua ut tempora consentiant, iudicium ex motibus siderum et ex eclipsibus sumitur, quam ad rem quis non intelligit, quarum artium scientia adhibenda sit?“ „Quanti vero referat, etiam ad recte iudicandum de sana doctrina religionis, ad erudiendam et confirmandam conscientiam, integrum corpus historiae mundi ob oculos habere, id illi norunt, qui in explicandis eius doctrinae controversiis versantur. Certe ingenti luce in omnibus rebus diiudicandis destituemur, si hac antiquitatis notitia careamus, ut taceam, quod vita humana in universum sine cognitione historiae nihil aliud est, quam, ut ille ait, perpetua quaedam pueritia“ [2]).

„Ilias malorum est inerudita theologia. Est enim confusa doctrina, in qua magnae res non explicantur diserte, miscentur ea quae oportebat seiungi, rursus illa quae natura coniungi postulat distrahuntur: saepe pugnantia dicuntur, vicina arripiuntur pro veris ac propriis. Po-

---

1) XI 656. 162. 282. X 907. XI 959. 501.
2) XI 162. (cf. 281. seq.) 862.

stremo tota doctrina monstruosa est et similis illi picturae apud Horatium:

Humano capiti cervicem pictor equinam
iungere si velit et varias inducere plumas.

Nihil in ea cohaeret; non initia, non progressiones, non exitus cerni possunt. Talis doctrina non potest non gignere infinitos errores, infinitam dissipationem, quia in tanta confusione alius aliud intelligit et, dum suum quisque somnium defendit, exsistunt certamina et dissensiones. Interim conscientiae relinquuntur ambigentes. Et quia nullae Erinnyes vehementius cruciant animum quam haec dubitatio de religione, tandem odio quodam abiicitur universa religio et fiunt mentes profanae et Epicureae. — Quum igitur tantum habeat mali inerudita theologia, facile iudicari potest, ecclesiae opus esse multis magnis artibus. Nam ad iudicandum et ad recte et dilucide explicandas res intricatas et obscuras, non satis est nosse haec vulgaria praecepta grammatices et dialectices, sed opus est multiplici doctrina. — Omnino est orbis quidam artium, quo inter se devinctae copulataeque sunt omnes, ut ad singulas percipiendas multa ex aliis assumi oporteat; quare ecclesiae opus est toto illo doctrinarum orbe“ [1]).

Haec de theologia cum omni eruditionis genere coniungenda Melanchthon docuit. Inter quae nonnulla attulimus simul ad iurisprudentiam et ad medicam artem spectantia. Etiam has nimirum non licere divelli censuit a toto illo doctrinarum artiumque orbe, cuius praecipuum quasi vinculum philosophia est. Id innuens: „Hippocrates, inquit, scribit alicubi, medicum, qui sit philosophus, plane divinum virum esse. Idem profecto de scientia iuris etiam dici potest, quia fontes illarum artium atque ortus et causae ita demum cerni possunt, si accesserit philosophiae scientia: adeo summis illis artibus addit philosophia non modo lumen

---

1) XI 280. seq.

sed etiam dignitatem"[1]). Ipsum et in iurisprudentiam et in medicinam laborem insumsisse supra memoravimus; quaestiones ad eas pertinentes singulis dissertationibus atque disputationibus tractavit; virorum, qui diversis temporibus in illis excelluerant, plurium studia et merita breviter descripsit. Quos labores propius examinare et pro illius aevi conditione diiudicare, opus foret viro earum artium historiae perito forsitan neque inutile neque iniucundum[2]). Nos quae quasi foris exstant pro nostro consilio excerpimus.

Saepissime Melanchthon sanctitatem eius rerum publicarum ordinis praedicat, in quo explicando et tuendo iurisprudentia versatur. „Initia legis non sunt a Solonis aut Decemvirorum tabulis, imo ne ab illis quidem saxeis tabulis. Sed lex est aeterna et immota sapientia et iustitia Dei, cuius radii in naturas intelligentes sparsi sunt, ut nostrae mentis et nostri mores cum mente divina congruant." „Eae notitiae, quae discernunt iusta et iniusta ac pariunt doctrinam iuris, sunt quaedam imago Dei et magis regunt vitam quam aliae notitiae seu ideae artium." Hae exprimuntur atque exhibentur civitatum legibus. „Quas qui derident excerpunt mutila et levia exempla. Sed bonae mentis est intueri totum aedificium, totum politicum ordinem", qui „vere sapientia est a Deo monstrata generi humano." Huius ordinis contemptores Cyclopum imagine depingere amat, qui sunt (ut est apud poëtam)

νομάδες· ἀκούει οὐδεὶς οὐδὲν οὐδενός·

quorumque mentem iam Homeri versus significat, a Melanchthone latine sic redditus:

Nulla Iovis Cyclopum animos reverentia tangit.

Contra eiusmodi contumaces homines legum vindices gladio armati sunt. „Vere enim ait Aeschines; nihil valere politiam non habentem nervos contra facinorosos." „Neve

---

1) XI 162. (cf. 218).

2) Cf. G. D. Hoffmanni iurisconsulti iudicium l. c. p. 17.

Epicuri more putes, poenas scelerum tantum propter tranquillitatem humano consilio institutas esse, verum sancitas divinitus ut sint commonefactiones de divina iustitia.“

Haec enim ipsa praeest vitae mortalium. Potentissimos quosque, pollutos atrocibus sceleribus, „divina Nemesis, ut olim vocabatur, oppressit iustis poenis et opprimet omnibus aetatibus. Et verissimum est dictum illud:

Non urbs, non regio, non aetas ulla severi
iudicii exemplis, non domus ulla caret.“

Firmissima autem in cordibus hominum legum sanctio religio est. „Legi, memini omnia Graecorum et Latinorum scripta de legum dignitate et de imperiis, et saepe cogito praecipuas omnium sententias. Sed tamen nulla vox talis usquam tradita est, quae vinculum esset universae civilis societatis, sicut hoc dictum: Necesse est obedire non tantum propter iram sed propter conscientiam“[1]).

Ex his facile colligitur, quanti Melanchthon magistratuum atque iudicum munus fecerit. Cuius auctoritatem et sanctitatem unum Lutherum constantissime defendere et melius quam qui antea de ea re disputaverint vindicare, contra adversarios, qui seditiosum illum nominabant, asserit[2]). Ipse Melanchthon magistratus exhortans: „Ne existimate, inquit, stationem, in quam Deus vos collocat, ludum esse. Specula generis humani est: et vos vult Deus custodes esse religionis, legum, iustitiae, disciplinae et pacis.“ „Rex Iosaphat et diligentiam iudicibus praecipit et poenam negligentiae ac perfidiae proponit: Non hominis, inquit, exercetis iudicium, sed Domini. — Hoc praeceptum semper in pectore circumferatur et. saepe cogitetur.“ „Sit omnibus animis infixa vox sapientiae divinae, quae apud Salomonem inquit: per me reges regunt et principes iusta decernunt“[3]).

1) C. R. XI 909. 362. (cf. 976.) 913. XII 9. XI 914. seq. 909. XII 148.
2) Strobel l. c. p. 129.
3) C. R. XI 1015. 1014. XII 96.

Ceterum adnotat, evangelio non unam certam regni formam praescribi, sed concedi ut alibi sint aliae regnorum formae. Ipse cum Platone eam pro optima ducit, quae sit media inter tyrannidem et democratiam. Libertatem civilem non minus fortiter quam magistratuum auctoritatem tueri studet. „Libertas vero, inquit, intelligi debet non anarchia, sed ubi certo iure reguntur homines et regum potestas legibus circumscripta est, iuxta quas iudicia exerceantur et suum quisque tenet.“ „Non est laudanda oratio illorum qui nunc quoque (ut Ahabi temporibus) firmant tyrannidem. Iura divina et humana nobis libertatem et proprietatem attribuunt.“ „Praeclare Ambrosius Theodosio imperatori, Nihil, ait, tam in imperatore amabile esse, quam si libertatem dicendi concedat; et hoc inter bonos et malos principes discrimen esse, quod boni libertatem ament, servitutem improbi.“ Novit Melanchthon, „nihil plausibilius esse apud reges ea opinione, quae servitutem populi confirmet et iubeat regum sententiis seu veris seu falsis parere; nihil plausibilius ad populum laxatione disciplinae et vituperatione gubernatorum“[1]). Utrique malo pari constantia obviam eundum censuit. „In his, inquit, qui adhibentur ad gubernationem, primum sit cognitio doctrinae de iustitia, deinde sit voluntas, quae in dando consilio regatur timore Dei et non velit iniustas cupiditates ullorum hominum sciens armare contra Deum et contra patriam.“ „Decet viros doctos imprimis, tueri libertatem, iure, legibus et religione constitutam.“ „Neque quidquam honestius est et omnibus bonis viris et imprimis iurisconsultorum ordine dignius, quam propugnare leges adversus furorem vel populi vel tyrannorum. Nullae victoriae, nulli triumphi plus verae laudis merentur, quam haec defensio propugnatioque iuris et doctrinae, quae est reipublicae necessaria“[2]).

---

1) XII 702. X 696. (cf. 919.) IV 669. VII 500.

2) XI 1019. X 696. XI 218.

Quamvis Melanchthon iuris ut ita dicam substantiam quidem aeternam humanaeque naturae inditam, formam vero pro temporum et locorum conditione variabilem putet, tamen non vult legum lationem semper denuo quasi ab ovo incipi, sed ut optima quaeque praeteriti aevi resumantur atque recipiantur postulat. Quare etiam Romani iuris usum tum contra Iudaicas, quas ait, quorundam de lege Mosaica opiniones defendit, tum de peregrinitate in crimen vocata purgat. Erant qui dicerent: „Quid illa seu imperatorum edicta seu Ulpiani, imo Bartoli, Baldi et similium callidae interpretationes ad legem Dei?“ His respondet, non confundendam esse in veteri testamento legem moralem cum lege civili. Politiam Mosis non magis ad nos pertinere quam politiam Solonis. Legem Iudaicam civilem nonnisi illi nationi conditam et attemperatam esse neque posse convenire pluribus gentibus. Cuius rei exemplum affert, quod certas sedes assignet certis familiis et illas vetet mutari; id quod non possit nisi in angusto loco obtineri. Et quosdam mores, etsi habuerint aliquid vitii, Iudaeis pro tempore permissos esse. Quare non esse absurdum aut contumeliosum et impium, si quis dicat, reperiri posse aliqua instituta Romanae reipublicae meliora in genere quam Iudaica. Hanc collationem iuris Romani cum Mosaico non esse inutilem, quippe quae augeat dignitatem et alat reverentiam praesentium legum. Adhibet ad haec explananda similitudinem hic verbis. „Ut medicus seu architectus non sumunt praecepta suarum artium ex scripturis, ita nec legislatorem de rebus politicis opus est sumere ipsam artem ex scriptura. Nam evangelium quum proprie concionetur de aeterna et spirituali vita, non mutat, non labefacit oeconomiam aut politicam vitam, quae, collata ad interiores cordis motus, persimilis est domui. Ut enim domus est singulari arte exstructa, apte contignatis omnibus partibus, ac tegit hospitem adversus tempestatum iniurias, interea tamen hospitis animus non intra hos parietes coërcetur, sed taci-

tus de Dei voluntate et de aeternitate cogitans, procul tanquam in coelum se sublevat: ita universa politia ceu domus quaedam est mira arte divinitus fabricata, legibus, magistratuum ordine, contractibus, iudiciis, disciplina, praesidiis armata. His septi et vallati muris tamen Deum agnoscere possumus ac statuere, hanc ipsam politiam, qua haec vita defenditur, esse velut domum divinitus nobis conditam: nec interest vitae spirituali atque aeternae, utrum haec domus, id est politia, sit a Mose an ab aliis legumlatoribus, ut ita dicam, fabricata, modo ut sit consentanea iuri naturae"[1]).

Contra eos, qui peregrinitatem Romano iuri vitio darent, ad magnam illam cunctarum aetatum gentiumque consociationem provocat, qua fit ut omnium labores prosint toti generi humano. „Quae tandem ars, inquit, ex liberalioribus illis domi nobis nata est? Litteras, temporum discrimina, siderum ortus et occasus, architectonicam, musicam exteri docuere, sine quarum cognitione vita plane manca est: in quibus si nihil offendit peregrinitas, quid vetat externis legibus uti?" „Vetus hic mos est, ab optime constitutis urbibus exempla petere. Nihil puduit Atticos, Aegyptias quasdam leges usu capere, ut Herodotus testatur. Nemo Romanis vitio vertit, quod, quum cogeret publica necessitas leges conscribere, in Graeciam legatos misere, qui inde legum formulas adferrent et de republica instituenda summos in Graecia homines consulerent. Id quum et maiores nostri fecerint, quum Romanae reipublicae instituta ad nos attulerint, quid quaeso peccarunt?" Romanas potissimum leges dicit dignissimas fuisse quae importarentur. „Hae enim ex notitiis illis naturalibus, quae sunt radii sapientiae divinae in decalogo breviter comprehensi, bona consequentia ductae sunt. Romanum ius antecellit legibus aliarum

---

1) XI 911. 361. X 700. 702. seq. XI 358. seq.

gentium et vere quaedam philosophia est." Quod apparet collatis aliarum gentium, Iudaeorum, Spartanorum, Atheniensium, legibus. Ex quibus „Atticae propius ad Romanam formam accedunt, sed Romanae plus gravitatis habent in plerisque delictis puniendis; melius etiam describunt iura testamentorum, discernunt haereditates, fidei commissa, legata; denique uberior est doctrina Romanis." Ad has res praestandas populus Romanus et ingenio suo et eventuum vicibus ferebatur. „Camilli, Curii, Fabricii, Fabii, Claudii, Scipiones, Crassi, Iulii, Cicerones, Scaevolae didicerant respublicas regere non in umbra et in ocio, ut Graeci, sed in sole ac pulvere, usu magistro, vim, inconstantiam, variasque voluntates vulgi domi forisque toties experti, norunt quae pharmaca civitatum morbis convenirent"[1]). — Illam igitur Romanarum legum praestantiam atque excellentiam diversi postea populi agnoverunt easque in scholas et in fora revocaverunt. „Quamquam vero Saxones vernaculis legibus adhuc alicubi utuntur, tamen multa in iis correcta et emendata sunt ex Romano iure. Id magno consensu tanquam oraculum nationes omnes de aequitate consulunt et in diiudicandis pensitandisque omnibus, quae in publicis consiliis decernuntur, gnomonis vice esse volunt." „Tam sanctam plurimarum gentium conspirationem reprehendere quid aliud est nisi insanire?" „Nec negari potest, huius doctrinae cognitione Italiam, Galliam et Germaniam factas esse cultiores atque mitiores. Postquam enim in iudiciis multi barbarici ritus correcti sunt et actiones ac sententiae requirebant quandam eruditionem, mores etiam flecti ad humanitatem magis coeperunt, et accesserunt litterae eruditiores et quaedam philosophia ac maior discendi cura. Nam hoc ius Romanum haud dubie erudita quaedam philosophia est. Quare etiamsi non revocatum esset in forum,

1) XI 78. XII 22. XI 358. (cf. 79.) 361. seq. 79.

tamen legendum et cognoscendum fuisset hominibus doctis accessuris ad rempublicam"[1]).

Invehit Melanchthon etiam in eos, qui, quum ipsarum legum Romanarum praestantiam non negarent, interpretum labores, inde a Lotharii imperatoris temporibus in illis explicandis collocatos, parvi aestimabant. „Ut singulari, inquit, Dei beneficio arbitror tunc restitutum esse ius Romanum, ita non potuit fieri nisi divinitus, ut simul tot praeclara ingenia exorirentur, quae operam contulerunt ad illam veterem doctrinam illustrandam. Qua in re si quis cogitat, quanta fuerit difficultas initio, non poterit non vituperare stultitiam atque ingratitudinem eorum, qui hos Herculanos labores non magnipendunt. Vetus consuetudo fori ac iudiciorum Romanorum fuerat antiquata, erant ignotae historiae veteres, quae et ipsae lumen saepe afferunt legibus, lingua vetus corrupta erat. In his tantis impedimentis tamen ingenti animo Irnerius et deinde alii coeperunt conferre textus, quaerere sententiam ex ipsis legibus, ideam totius reipublicae animo informare et quasi imaginem quandam imperii restituere: ita coepit lingua vetus fieri notior." Et alio loco de Irnerii et Bartoli vitis et laboribus fusius locutus: „Iam cogitate, inquit addens, qualis error sit, ut nihil durius dicam, tantos viros, de toto genere hominum optime meritos, non magni facere nec eorum virtutes et merita intelligere. Adhortor iuvenes primum ut venerari hos heroicos viros discant; deinde ut avide eorum doctrina frui studeant; postremo, ut quantum quisque pro ingenii sui viribus potest, diligentiam eorum et sedulitatem imitari conentur." Gravissima vero censura digni sunt homines arrogantes, „qui putant leges posse intelligi sine voce docentium, sine collatione et eruditorum ac peritorum enarratione, et lectis duabus aut tribus pagellis et emptis vocabulariis et repertoriis existimant se esse iurisconsultos,

1) XI 363. 79. 353. (cf. 363).

Scaevolas et Ulpianos.“ Saepius Melanchthon admonet, ut spreta theologiae ita spreta iurisprudentiae eruditione mox etiam linguas et omnes bonas litteras contemptum iri et ingentem confusionem ac barbariem vitae hominum secuturam esse [1]).

Postremo, ut proposuimus, de doctrina medica ex Melanchthonis scriptis pauca, quae huius loci esse nobis videntur, afferamus. Summis et illam laudibus effert, „non quasi alieno ornatu et orationis fuco ei opus sit quibus commendetur, sed quo adolescentibus adhuc imperitis eius splendor ac maiestas ostendatur.“ Laudat eius studii et utilitatem et suavitatem, quod „iuvare homines sit et sanctissimum officium et homine dignissimum, neque aurei montes, qui in fabulis esse dicantur, tantum valeant honestam mentem oblectare, quam earum rerum tractatio cognitioque quas continet medicina.“ „Quare veteres, inquit, quum quidem omnium aliarum disciplinarum inventionem, immo et litterarum et legum primordia in homines auctores referrent, in una medicina senserunt tantam esse vim, ut neminem mortalium dignum ducerent, cui tantum beneficium acceptum ferrent, sed magno consensu iudicarent a Deo eam repertam exhibitamque nobis esse.“ „Homerus, vates sine dubio rerum humanarum peritissimus, unum medicum multis aliis hominibus praestare censuit.“ „Neque medicorum ordini fraudi esse debet quorundam temeritas et inscitia, qui eius artis titulo se venditantes, multis fucum faciant, quibus si quis titulum detraheret, idem sane eis accideret, quod Cumano leoni, qui pelle nudatus asinus fiebat. Tales non magis medicinae officere debent, quam honestissimo theologorum ordini triobolares isti theologastri, qui, ceu foedae Harpyiae, et sacra, et sanctissimum theologici nominis ordinem defoedant atque conspurcant“ [2]).

---

1) XI 221. 356. X 957. XI 218. 223. (cf. 234).

2) XI 191. (cf. 198.) 202. 194. 196.

Id quoque medicinae summae laudi esse ducit, quod ea maxime ad diligentius tractandas multas physicae doctrinae partes hominum animos traxerit. Sic botanicen innuens: „Videtur ipsi naturae, inquit, studio fuisse, rarissima quaeque suae benignitatis munera et non mediocrem boni vim in intimis herbarum medullis recondere et occultare, quo bonos et alacres viros ad inquirendum acueret et eorum studia et industriam liberalibus praemiis remuneraret; quemadmodum viri principes eorum virtuti, qui in certaminibus praestiterunt, exquisitos honores habere solent.“ Imprimis vero anatomiam et quam nunc aiunt physiologiam (quas disciplinas quantopere etiam ad animae indolem intelligendam necessarias putaverit supra diximus) medicinae quasi peculium esse videt. „Haec enim, inquit, ad contemplandum hominem, quo a natura non aliud animal melius aut praestantius aut divinius conditum est, omnem ingenii vim et animi robur convertit, omnes eius partes perlustrat, singula membra seorsum propius intuetur et acri iudicio examinat singulosque eius angulos perreptat et cognoscit, et in admirabili illa et viva corporis humani compositione omnia singulatim, veluti luculentum et illustre nobilis architecti aedificium, perquirit et inspicit ibique apte et eleganter disposita admiratur, si quae vitium fecerunt, notat, totumque hoc animal adeo perplexum et sinuosum, ut non iniuria Momus ei fenestras addendas censuerit, quo ea quae intus sunt cognosci possent, lynceis oculis perspicit. Si igitur quis, quod pulcherrimum et honestissimum est, semetipsum intus et in cute cognoscere cupit, veluti labyrinthum ingressurus, medicinam ducem, ceu Thesei filum, sequetur, si errori implicari et a vero deduci non velit“ [1]).

Illa vero aetate valde necessarium erat, hominibus id inculcare, quod his verbis Melanchthon exprimit: „Iatricae manus admovere nisi physicen didiceris, est sine pennis

---

1) XI 193.

volare." Multi nimirum medico sufficere putabant sine doctrina experientiae quandam farraginem. Quare Melanchthon et orationem composuit „contra empiricos medicos"[1]). Ex qua nonnulla depromimus. „Assentior multum pollere experientiam, ex hac enim ars paulatim nata est. Sed postquam ars reperta est, ideo traditur, ne quid temere cum periculo aliorum experiamur, sed priorum experimenta imitantes certam medendi rationem teneamus. Proinde qui relicta arte per sese volunt experiri quid prosit, quid obsit, hos saepe continget errare et discent magno malo aegrotantium. Nihil est fallacius experientia in tanta varietate circumstantiarum, ad quam non adhibetur ratio et doctrina, sicut initio Aphorismorum monuit Hippocrates, experientiam periculosam esse et iudicium fallax. At isti empirici, imo histriones, abiecta arte tantum confidunt experientia et iudicio suo. Ars gubernat et imitatur experientiam non indoctorum sed praestantissimorum. Prudens medicus coniunget utrumque, artem et experientiam. Nam experientia sine ratione, sine doctrina, sine arte nihil nisi domesticum latrocinium est. Accedit hoc, quod auget periculum, imperitia parit audaciam, ut Thucydides ait: quare inter istos ut quisque indoctissimus est, ita est audacissimus. Multi sunt morbi, quos doctissimi et peritissimi medici movere non audent, multa incidunt symptomata ex causis adeo obscuris, ut etiam doctissimi viri dubitent quomodo occurrant; incredibilis est varietas signorum ante crisin, quae non raro perturbat medicum quamvis sagacem. At histriones isti, quoniam semel perfricuerunt frontem, fortiter sunt impudentes. Leges puniunt imperitiam in medicis; gravissime enim ait iurisconsultus: non debet impunitum relinqui delictum decipientis praetextu humanae fragilitatis. Porro ad legem Aquiliam scribitur, dolum esse, si quis affectet aliquid in quo intelligit aut intelligere debet infirmitatem

1) XI 202. seqq.

suam aliis periculosam fore. Et prudenter in quibusdam civitatibus bene constitutis provisum est, ne quis exerceat medicinam sine auctoritate collegii doctorum medicinae. Quod si ubique servaretur, melius consultum esset hominum saluti, quum in morbis non adhiberent nisi bonos viros et doctos medicos.“ — Huic simile aliquid nunc fere ubique, etiam inter Turcas, legibus constitutum videmus, quamvis pro humanarum rerum fragilitate non semper eo, quem ille sperabat, eventu.

Reliquum est ut omnium, quas perlustravimus atque recensuimus, doctrinarum artiumque et asyla et seminaria, scholas nimirum vel academias, intueamur. Quarum dignitas quanta Melanchthoni esse videatur, ex iis, quae de summo sentit unius cuiusque disciplinae pretio, intelligi facile potest. Neque forsitan quisquam ante eum academiae ideam tam altam sublimemque, ac simul ex tanta et vitae et omnium doctrinarum cognitione haustam, mente conceperat. Diversorum studiorum non colluviem sed veram consociationem esse academiam voluit; non mercenariam rerum ad certa quaedam munera obeunda necessariarum magistram, sed et solidae eruditionis, et humanitatis veraeque pietatis quasi gymnasium; ecclesiae et reipublicae non tantum seminarium et decus suavissimum, sed etiam fortissimum adversus omne genus barbariae propugnaculum. Licet vero ab hac perfectionis norma quantum praesentes academiae distarent bene animadverterit, tamen et quidquid aliquatenus ad illam accedebat grato animo amplexus est, et omnes ad ultra progrediendum fidenter atque constanter adhortatus.

Inter ea quae impedimento sunt, quominus vita academica talis sit qualis esse debeat, saepe mercenarium istum, quem Graeci *βάναυσόν* nominant, sensum primo loco ponit. Ubi in artibus nihil quaeritur nisi „quod vendibile et quaestuosum est“, humaniora illa studia, quae Melanchthon Homeri atque Musarum figuris significat, negliguntur et despi-

ciuntur. „Accidit, inquit, Musis hoc tempore in mundo, quod Strabo cuidam citharoedo olim apud Iassum accidisse memorat. Qui quum in theatro eius loci erudite ac suaviter caneret audirentque eum Iassii, statim ut increpuit tintinabulum, quod signum illis erat venum expositorum piscium, illico omnes cytharoedo relicto ad pisces emendos dilapsi sunt, praeter unum surdastrum, qui quum sonum tintinabuli auditu non percepisset, solus remanserat. Ad eum igitur conversus cytharoedus: O homo, inquit, gratias tibi ingentes habeo, cum propter musicae studium tum propter honorem mihi praebitum, quod non sicut ceteri statim ad crepitum tintinabuli foras proiecisti te, ut pisces emeres. At ille: Quid ais? num iam tintinabulum sonuit? Qui quum affirmaret: At tibi bene sit, inquit, ac surgens protinus ipse quoque foras ad emptionem piscium procurrit. — Ita his temporibus haec studia quoque et litterae negliguntur.“ „Nos vero nihil istae illiberales cogitationes, isti sordidissimi sermones moveant. Non digni sunt qui his Musarum sacris initientur aut in hoc humanitatis et virtutis sacellum admittantur, qui sordidi quaestus gratia haec longe praestantiora bona aspernantur. Non distendit crumenam auro et argento Homerus, non ventrem pinguedine, non cingit digitos gemmatis annulis: at certe mentem, quae praestantior, quae immortalis pars nostri est, ingentibus ac longe nobilioribus aeternisque divitiis cumulat, ornat ditatque“ [1]).

Ex sordido isto humilique animo haud raro alius scholarum morbus fluit, quem Melanchthon sophistices nomine significat. In hunc enim sagacissimi quique facile incidunt, ubi non puro sinceroque veritatis amore reguntur, sed vel partium studio vel pravis cupiditatibus obtemperant. „Quum apud Sophoclem Neoptolemus adolescens miratur, qua fronte, quo ore mentiri quispiam ausit sciens, respondet Ulysses,

1) XI 398. 412. cf. 234.

nefarie is quidem, sed significans quales sint hominum mores:

Ubicunque spes lucri est pudere non decet.

Hanc Ulysseam philosophiam experimur pervasisse etiam in scholas et corrumpere artes.“ Cum hac sophistica bellum ἄσπονδον debet esse omnibus, qui et boni viri perhiberi volunt et studia sua referunt ad communem utilitatem. Plato gravissime ait, dandam esse operam in dicendo, non ut hominum plausus captemus, sed Deo grata dicamus; veritatem omnium bonorum causam esse diis et hominibus.“ „Quam crebro praecipit Christus de colenda et tuenda veritate? quam sancte commendat nobis eius studium? quam horribiles poenas etiam proponit his qui veritatem violant? — Porro qui amant sophisticen et in ceteris artibus ludere consueverunt, ad eundem modum ludunt in doctrina coelesti.“ Sophistis vero affine est aliud hominum genus, quos Melanchthon histriones vocare solet; ii nimirum, qui scientiae, quam non tenent, speciem prae se ferunt et fucosa arte vel iuventuti vel vulgo imponunt. „Id genus histrionum nulli professioni deesse“ adnotat. Qui ubi doctrinam qualemcunque indignissime tractant et dehonestant, omnes bonos et eruditos viros indignatio quaedam et miseratio subire debet, perinde „ut Apelles pictor, si praecipuam aliquam suarum tabularum, collocatam illustri loco, deformari atque aspergi luto videret, maxime dolore afficeretur propter artis misericordiam“ [1]).

Foedissima denique academiarum pestis odia sunt, qualia animis citius irritatis, ambitione, invidia, superbia etiam inter eruditos viros facile aluntur, „nam ut ait Martialis:

Qui velit ingenio cedere rarus erit.“

Sic „friget humanitas, et quum a litteris nihil abesse debeat longius rancore, (nam communia erant Musis et Gratiis quondam sacra), quorundam studia, quaecunque sunt, vel

---

1) XI 268. seqq. 203.

sola nutrit invidia." „In schola vero sic vivere, ut vivunt in arena gladiatores, turpe ac miserum est." — Quare Melanchthon eruditis viris: „Illud, inquit, moneo quod apud Homerum est, qui fingit, Aten validissimo corpore discurrere et dissidia excitare, sequi vero Litas divinitus missas, quae hortantur ut homines redeant in mutuam gratiam. Haec sententia nequaquam profana est. Scitis enim a Christo nobis severissime commendatum esse hoc officii genus: Remittite et remittetur vobis." Ceterum hic quoque resistendum esse dicit principiis, saepe enim accidisse, ut „ortae eruditorum dissensiunculae ex levissimis initiis excitarent ingentes tumultus."

Laudat virum inter humaniorum studiorum restitutores celeberrimum, Rodolphum Agricolam, quod, quum Heidelbergam vocatus esset, non sit solitus irritare morosos intempestivis reprehensionibus, ne quid sereret certaminum in schola, saepe recitans, hospiti multa dissimulanda esse, ut Graecus versus ait:

ξένον δὲ σιγᾷν κρεῖττον ἢ κεκραγέναι.

Platonem Xenocrati, qui tristiore et rigidiore natura esset, ut ad comitatem, suavitatem et ἐπιείκειαν, in communi consuetudine necessarias, eum excitaret, dicere solitum esse: σπένδε χάρισιν. Neque tamen ita mansuetudinem commendavit Melanchthon, ut cedendum censeret verae turpitudini, cuius odio implacabali iam pueros impleri voluit[1]).

In iuventute academica id maxime reprehendit, quod careant multi sincero discendi ardore et constantia. Hos tangit hisce verbis: „Iohannem Stoefflerum mathematicum, cuius et monumenta exstant praeclara et gravitas atque integritas in omni vita, sedulitas atque assiduitas in operis scholasticis multorum celebratur sermonibus, quibus notus fuit, illum (inquam) salse reprehendentem in auditoribus suis τὸ φιλόκαινον καὶ τὸ ἀψίκορον, accepimus dicere soli-

1) XI 332. 21. 334. 442. seq. XII 338. I 838.

tum, se si mathesin universam vel haustu uno complecti vel in pulticulae liquidioris formam excoquere posset, vix obtenturum apud suos, ut redeant toties et recepto in os infundibulo moram perferant citra molestiam eousque, donec universam instillasset vel faucibus digito illevisset. Idem de nostris auditoribus queri iure possumus, qui quum ordimur auctorum enarrationem, novitate allecti accurrunt frequentes, sed principio vix leviter degustato, ubi ad res ipsas perventum est, capti satietate aut absterriti impensioris et diuturnioris studii opinione, quam ex falsa difficultatis persuasione induunt, mox diffugiunt neque ordine neque integre artes discunt. Ne tamen rudes prorsus esse atque imperiti harum artium videantur, omissa fontium dulcissimorum inquisitione et cognitione, umbras captant et arripiunt aliquas alicunde et sine iudicio consarcinatis libellis, nec verae et solidae eruditionis gustum unquam consequuntur. Hanc discendi perversissimam rationem reprehendi necesse est. Haec artium interitum adfert" [1]).

Praeterea saepius etiam mores illos vituperat, qui in mediis Germaniae academiis, nobilissimae ingenii libertatis et humanissimae eruditionis sedibus, veterem populi ferociam et barbariem sapiebant. „Adolescentia, inquit, natura aegre patitur legum vincula, licentiam cupiditatibus suis permitti cupit. Et quorundam, tanta est ferocitas, ut contemptum disciplinae et legum fortitudinem quandam esse putent. Sed haec Cyclopica vita indignissima est scholasticis." „Non enim hominum sed Cyclopum hi mores sunt, totas noctes in publico tumultuari, furiosis clamoribus omnia complere, conviciis, lapidum iactu, armis in pacatos adeoque inermes atque innocentes hostilem in modum debacchari, oppugnare honestorum civium aedes, effringere fores, fenestras, turbare somnum puerperis, miserisque aegrotis ac senibus, dissipare tabernas in foro, currus et quidquid occurrit. Turpia

1) XII 243. seq. (in oratione Peuceri nomine scripta).

dictu haec sunt et indignissima tali hominum coetu, in quo quum sonet doctrina filii Dei, quum honestissimarum artium studia floreant, vita quoque et mores his studiis conformes esse debebant.“ Notum est quam fortiter Melanchthon tali ferociae etiam coram restiterit. Neque tamen nativam adolescentium alacritatem duriori disciplina compesci et restingui voluit. Hilaritatem in iis amavit sed verecundam et Attico sale conspersam. Qui in conviviis sine colloquio laeto et ingenuo sedere solebant, non minus quam Cyclopas istos barbaros nuncupabat. „Germani, inquit, tales vocant Dockmeuser, quia omnia audiunt et observant; cum aliis assident et nihil ipsi dicunt. Dockmeusern significat doloso mussitare, *βαυκοπανουργεῖν*. Valde ingratum est, esse apud occultatores eiusmodi animi. Man weiss nicht wie man dran ist, wenn man bei solchen Leuten sitzt. Multo etiam insuavius est, quando efferuntur per tales illa quae dicta sunt inter amicos. Nam in convivio multa dicuntur hilariter, quae non sunt efferenda omnia: *Μισῶ μνήμονα συμπότην*: Odi memorem compotorem.“ „Boni viri veniunt ad bonorum convivia, non heluationis et ventris causa, sed benevolentiae, sermonum et colloquiorum causa: dass einer mit dem andern rede, ihn tröste und ihm sein Gemüth eröffne, pro loco et tempore. Convivia sunt signa benevolentiae, in quibus aluntur amicitiae, animi confirmantur, docentur et alliciuntur“ [1]).

Omnibus vero vitiis atque damnis illis perspectis Melanchthon academiarum cives non vult quominus sua bona noverint impediri. Quare splendida atque praeclara de academia praedicare non desinit. „Vetus, inquit, est dictum: Extra universitatem non est vita.“ „Revera nullum est pulchrius spectaculum quam bonorum et doctorum virorum coetus.“ „Saepe mihi venit in mentem veteris fabulae de Astraea, quam ferunt pulsam civitatibus postea in rure diu

---

1) X 918. 954. — Koch l. c. p. 93. — C. R. XXIV 722. 526.

solitam agricolis concionari. Ita mihi videtur propemodum pulsa ex aulis, ex foro, ex templis et aliis hominum coetibus Astraea adhuc haerere in scholis. Doctrina liberalis flectit ingenia ad virtutem. Nec fere quisquam adeo est ferrea natura, ut litteris et mediocri disciplina non aliquanto fiat mitior. Deinde illud affirmare ausim, eum qui in studiis assuefit ad amandam et inquirendam veritatem, amare candorem ac simplicitatem etiam in moribus et in vita. Sed doctrina sophistica depravat voluntatem, transfertur enim calumniandi studium ad mores. Ut autem quisquis est studiosissimus, ita maxime incensus est amore veritatis et sophisticen odit acerrime. Dulcissimus autem convictus est cum eruditis et candidis, qui prospiciunt quid deceat et certa quadam ratione moderantur omnes actiones et animi impetus quasi freno regunt. Itaque nec dulciores nec firmiores sunt amicitiae quam philosophicae, hoc est, eruditorum amicitiae et societate studiorum contractae. Ne Laetii quidem et Scipionis amicitia tantum suavitatis habuisset si fuissent ἄμουσοι.“ „Quod vero multi aiunt simultatem inter Platonem et Aristotelem fuisse, etsi non libero homines omnibus vitiis, tamen ego iudicii dissimilitudinem de forma doctrinae arbitror sine odio et animorum offensione fuisse: ut saepe coniunctissimi homines in senatu, in dicenda sententia, sine ulla acerbitate dissentiunt. Nec fuit adeo hebes Aristoteles, ut non intellexerit Platonis virtutes, nec adeo ferreus ut non venèraretur eas.“. „Litterati in summo fastigio rerum humanarum collocati sunt.“ „Non plus dignitatis est, si res aestimentur, non tituli, in regum, principum, pontificum, episcoporum functionibus, quam in scholastica. Nos enim veritatis et iustitiae inquisitionem profitemur, quibus bonis nihil divinius habet humanum genus.“ Tam alta vero de eruditorum vita opinio Philippo non erat superbiae atque vanitatis alimentum, sed christianae humilitatis veraeque pietatis. Saepe se recitare dicit hunc versiculum:

Tu me sustenta fragilem, tu Christe guberna,
fac, ut sim massae surculus ipse tuae.

„Honestissimi, inquit, scholarum congressus non sunt ludi aut inania spectacula. — Magnum sustinemus onus, qui a Deo in hanc stationem delecti sumus. Nec quisquam tanta est vi ingenii, ut nisi adiuvante Deo hoc munus omnium difficillimum feliciter administrare possit." „Eosdem decet animos in scholas afferre quos in templa afferimus." „Cogitate quaeso quam augusti et venerandi coetus sint angelici. Horum imagines in terris scholastici conventus esse debent, munus certe idem est et officium. Profitentur idem quod canunt angeli: Gloria in excelsis Deo et in terra pax et hominibus laetitia" [1]).

Haec igitur academia universi illius doctrinarum artiumque chori, qualem mente effinxisse Melanchthonem initio vidimus, quasi in ipsa hominum societate expressa atque exhibita imago est. Itaque quodammodo reversa ad principium suum oratione nostra, id quod animo proposueramus peregimus. Universam scholasticam doctrinam ex Melanchthonis mente talem quasi lineamentis circumscripsimus et adumbravimus, qualem conformare ille Camerario teste studuit, ut nimirum „initium cum fine denique coniungeretur et coiret et omnis ista tractatio uno orbe comprehensa absolveretur, cuius nomen placuit esse encyclopaediam" [2]). Haec omnia, et singula et universa, si quis in animum revocat, is profecto quot inde semina vel (ut alia similitudine uti liceat) quot quasi fermenta cognitionis sparsa sint, tum inter Melanchthonis auditores, quos interdum plus duo millia habuisse fertur, tum inter eos, qui scripta eius manibus versabant, recognoscere facile potest. Et id quidem hoc loco memoratu dignum videtur, quod praecipue ipsae illae orationes academicae, quas magnam partem pro

---

1) XI 304. 342. 301. seqq. 305. 650. X 921. XXIV 78. XI 647. seq. 438.
2) Camerar. l. c. p. 52. seq.

aevi more eruditissimis diversorum ordinum, viris recitandas suppeditavit et ex quibus plurima ad omne genus doctrinae pertinentia supra attulimus, pluries collectae et typis excusae, non solum tunc temporis avidissime lectitabantur, sed etiam multiformis Philippicae eruditionis famam atque vim ad posteriora aeva propagaverunt. Iam viventi praeceptoris Germaniae nomen impositum est. De mortuo doctissimus quidam aequalium, Georgius Fabricius,[1]) in epitaphio scripsit:

Inclyta quidquid habet studiis Germania laudis,
ingenio peperit, clare Philippe tuo.

Quod, si modo recte intelligitur, nunc quoque dicere fas est. Quidquid enim ad promovendam Germanicae eruditionis Germanicarumque academiarum laudem Protestantes, qui vocantur, contulere (idque hucusque longe plurimum fuisse doctissimi quique et candidissimi inter hierarchicae unitatis propugnatores ingenue fatentur), id magnam partem ad Melanchthonem, coniunctionis inter evangelicam libertatem et omnia humaniora studia initae praecipuum auctorem, iure refertur.

Et ipse quidem „sinceriori evangelii doctrinae singulari Dei beneficio renatae“ saepius id quoque attribuit, quod ad recte excolendas humaniores litteras, inprimis ad rite diiudicandum philosophiae usum, lucem sibi porrexerit. Quanti etiam hoc nomine momenti id esse putaverit, quod plenius iam illustrata erat legis atque evangelii differentia, supra exposuimus. „Semper, inquit, et in omni aeternitate bonae mentes beneficia, quae Deus ecclesiae per Lutherum dedit, celebrabunt.“ Deploravit quidem exorti magni dissidii calamitatem et propter ecclesias, „quae regi melius tranquillis temporibus possent“, et propter Germaniam, „cui iam adversus externum hostem principum consensu opus esset“, et propter eruditorum virorum sodalitium, qui a per-

1) C. R. X 316.

ficiendis iis, quae ineunte saeculo unitis viribus feliciter aggressi erant, publica discordia impedirentur. Neque tantum adversariorum sed etiam suae partis peccata accusat. De pio quodam eruditoque viro iamdudum vita defuncto loquens: „Non vidit, inquit, dissidia dogmatum in ecclesia, non seditiosas conspirationes principum adversus imperatorem, non peregrinarum gentium exercitus in Germania.“ Agnoscit, ut ita dicam, tragici aliquid in his omnibus, admonens „solere fatales mutationes omnibus rebus humanis accidere, quae humanis consiliis caveri non possint.“ Sed simul Philippus (ut verbis utamur Burchardi illius Vimariensis in epistola obviis, quam ad Pontanum cancellarium misit e Ratisbonensibus colloquiis) „per Dei gratiam veritatem fortissime tuetur“ 1).

Et profecto deesset aliquid viri eruditi imagini, nisi eundem strenuum evangelicae fidei defensorem quasi in medium vocaremus. Talis bona conscientia fretus Carolo imperatori scribit: „Spero doctos et bonos viros ubique probaturos esse meum consilium, quod de his tantis rebus acrius contendi, atque intellecturos, me in hac re non alienis affectibus sed necessitati ecclesiae serviisse.“ Et Campeggio legato pontificio: „Hanc causam in qua versamur non possumus sine scelere abiicere. Natum est hoc dissidium initio ex reprehensione turpissimae nundinationis indulgentiarum. Hinc pontifex et eius satellites concurrerunt. Editum est fulmen excommunicationis. An propter illa iniusta decreta dicimur avulsi ab ecclesia? — Iniquum est tantum colligere quae contra nos dici possunt et dissimulare alterius partis vitia. Ac propemodo ut in apologo lupus queritur turbari aquam ab ove bibente ex inferiore fluminis parte: ita adversarii obliti sua vitia nos tantum accusant.“ Alibi commemoratis iis, quae ineunte seculo inter eruditos viros agitata et exspectata erant: „Si illa aurea

1) XI 729. IV 727. XI 1016. IV 717. 317.

aetas, inquit, quam tunc reflorescentibus utcunque litteris sperabamus, secuta esset et nobis ocium fuisset, fortassis laetiora, nitidiora et scholis gratiora scripsissemus. Sed fatalis discordia, quae postea secuta est, et mea studia conterruit, et, ut fert temporum moestitia, tristiorem et quasi lugubrem habitum orationi nostrae circumdedit. Ne vero nunc de fontibus ecclesiasticorum dissidiorum dicam: scio nos ab inimicis accusari, adversus quos mihi quidem perfacilis est et simplex defensio. Fateor exortis dissensionibus me comitem et fuisse et esse eius partis, quae res veras et ecclesiae necessarias patefaciebat. Dux esse ne per aetatem quidem potui. Sed adversari piis et salutaria docentibus non volebam, nec iam aliter sentio.“ Tunc allata narratione illa de Aristide Locrensi, qui, crudeliter necatis a Dionysio tyranno filiis, tamen se recti consilii non poenitere professus est: „Ita, inquit, etsi vidimus, quantam ruinam etiam quarundam bonarum rerum traxerit civilis discordia, tamen mei me consilii non poenitet. Haeret discordia non nostra culpa sed scelere eorum, qui illucescentem veritatem ferre nequeunt.“ „Nostras vero sententias fuisse moderatas, acta publica ad omnem posteritatem testabuntur; toties flagitavimus veram diiudicationem, toties ipse supplex oravi potentes ut saluti ecclesiae consulerent; sed plane visus sum, ut est in Graeco versu, ut navis quassata procellis supplicare scopulis“ [1]).

In his omnibus theologi certaminibus ingenium omni humaniorum studiorum genere excultum aeque sentias, atque in cunctis viri eruditi laboribus ad diversissimas doctrinas spectantibus Christianum ut ita dicam pectus. Quare si Seneca difficile esse dicit, unum hominem agere sive sui semper similem esse, Melanchthon, licet vix alius quispiam maiore studiorum et occupationum varietate distractus videatur, quantum quidem inter mortales fieri potest, vere unum

1) IV 320. III 1197 seq. IV 716. seq. 727.

hominem egit. Ipse de se festive loquens: „Quidam, inquit, de me per iocum dicunt: Philippus canit eandem cantilenam. Utinam in tota aeternitate possem eandem cantilenam canere“ 1). Inter acerrima illa dissidia ea humanitate et modestia usus est, ut, quamvis et in publicis utriusque partis negociis atque colloquiis, et in eruditis disputationibus, praecipuus reformationis ecclesiasticae defensor et ut ita dicam interpres fuerit, tamen etiam melioris notae adversarii cum ingenium eius et doctrinam tum animi candorem agnoscerent. Quare Erasmus in litteris ad Iulium Pflugium scriptis 2): „Philippus Melanchthon, inquit, praeter insignem eruditionem et raram eloquentiam habet gratiam quandam fatalem, quam genio suo debet potius quam ingenio, ut quum sit omnibus candidis gratissimus, ne apud hostes quidem habeat quendam, cui sit admodum exosus.“ Et sane rem ita se habere videmus, si homines fanaticos bonarumque litterarum osores excipimus. Ii enim, sive catholicorum, sive evangelicorum nomine gloriabantur, semper Melanchthonem odio habebant. Inter hos unum Goezium Hamburgensem memoramus, furiosissimum Melanchthonis obtrectatorem, qui, quidquid in eius favorem nuper dictum est, hominis angusti et fanatici, evangelico nomine indigni, exemplum manet manebitque. Quem quum doctissime refutaret Strobelius, iure libro suo praeposuit Camerarii verbum de Melanchthone prolatum: „Nescio quo pacto huius viri dicta et facta fere omnia perpetuo quasi signum quoddam proposita fuerunt, ad quod dirigeret veluti sagittas calumniarum et obtrectationum levitatis improbitas.“

Haec omnia nemo prudens ita dicta putabit, quasi contenderemus, ipsum Melanchthonem in tantis illis dissidiis (id quod plus quam hominem desiderasset) nunquam errasse, nunquam nimio affectu abreptum esse, nunquam adversariis

1) XXV 781.

2) Erasmi epp. XXVII 2. ed. Lond. p. 1487.

vel catholicis vel evangelicis iustae alicuius reprehensionis ansam praebuisse. Certamina luctuosissima, post Lutheri mortem de Interim quod vocabant orta, iam initio tetigimus. Etiam tunc quidem Melanchthon, de imperatoris ira, quam ipse prae ceteris subibat, non sollicitus, doctrinam evangelicam fortiter tuebatur, sed magni officii sibi commissi immemor et (id quod alias exprobrari ei non potest) populi conditionem ac sensum oblitus, nimis secure virum privatum et eruditum agebat. Tale enim ponebat doctrinae atque caeremoniarum discrimen, quale sanior populi mens ferre non poterat[1]). Quare tunc veri aliquid inerat in Flacii Illyrici verbis, ceterum adversarii iniquissimi, dicentis, nimis eruditum esse Philippum. Neque eo tantum tempore, sed iam antea ipso illo candore quo ab omni fuco remotus erat aliquoties factum est, ut facilitati suae scribendi nimium indulgeret, ubi verba caute expendere et invidiosae reprehensionis occasionem praecidere necesse fuisset. Idcirco recte iam Erasmus, ut erat in iudicandis hominibus sagacissimus, brevi ante obitum ei scripsit, „in libris eius, in quibus sibi multa vehementer arrideant, interdum se desiderare plusculum circumspectionis; frequenter enim sic leviter eum capita rerum attingere, ut negligere videatur, quid acuto lectori venire possit in mentem“[2]). Sed qui eiusmodi naevos exaggerant et odioso suo de tanto viro iudicio praetexunt, videant ne sibi ipsis mentis perversae atque inhonestae maculam inurentes frustra id agant quod innuitur veteri proverbio: Scarabaeus aquilam.

Longe aliter inter ipsos adversarios praestantissimi quidam eruditissimique viri de illo iudicaverunt idque plures annos post editam confessionem Augustanam. Sic Iohannes Campensis in litteris, quibus commentarium suum in duas

---

1) Cf. de his H. Rossel „Melanchthon und das Interim“ in eiusdem „Theologische Schriften“ p. 133—176.

2) C. R. III 86.

Divi Pauli epistolas[1]) Hieronymo Alexandro, archiepiscopo Brundisiensi, dedicat, Philippum Melanchthonem doctissimum et candidissimum virum nominat, seque in sextum mensem illum in Prussia expectare praefatus: „Putabatur, inquit, in Sarmatiam rogatu quorundam magnorum venturus, quod si factum esset et mihi colloqui cum illo licuisset, quemadmodum ab annis non paucis ardentissime cupivi, hunc laborem fortasse scribendi suscipere mihi opus non fuisset; maluissem enim illum sua ipsius nonnihil mutare, quam haec in lucem edere. Qualecunque interim hoc erit, spero pro innata illi modestia, quam etiam hostes illi insignem tribuunt, boni consulturum, sicubi ab illo dissensero.“ — Et plures annos post Iacobus Sadoletus Cardinalis ipse Melanchthoni scripsit,[2]) se Romae quotidie ferme aliquid de operibus eius nactum esse, quae et propter excellens eius ingenium, et propter elegantiam orationis libentissime legere solitus sit. „Id, inquit pergens, quum saepius facerem magnaque in legendo delectatione afficerer, sensi paulatim mihi incendi animum ad quandam benevolentiam nominis tui usque eo quidem, ut miro quodam studio tecum ineundae amicitiae tenerer. Etsi enim nonnulla erat inter nos opinionum dissensio, ea tamen animorum dissidium apud ingenue eruditos minime faciebat. — Non enim ego is sum, qui ut quisque a nobis opinione dissentit, statim eum odio habeam.“ Addit se sperare, hoc apud illum ponderis suas litteras habituras, ut qui locorum spatiis disiuncti sint, animis tamen et benevolentia coniungantur.

Tales viros qui ita de Melanchthone, evangelici nominis decore, sentiant atque iudicent, etiam nunc in ecclesia Romano-catholica inventum iri speramus. Invenientur, si modo viri Sadoleti similes et veritatem atque aequitatem pluris

---

1) „Commentariolus“ in epp. ad Rom. et Gal. Cracov. 1534. Cf. Strobel, Melanchthon's Verdienste um die heil. Schrift p. 107. seqq.

2) C. R. III 379. seqq.

faciunt quam partium studium, et religionem christianam cum sincero ardentique omnium humaniorum artium amore arctissime consociandam esse sentiunt. Quicunque hanc solam esse viam existimant, qua universa vita ac scientia humana ad verae unitatis et perfectionis fastigium perducatur, Melanchthonem, quidquid in eo desiderant, felicissime in hac via aperienda operam collocasse, grato animo agnoscent. Ubicunque vita academica in honore habetur et summa eruditionis laus in perfecta atque bene consonanti, ut ita dicam, variae solidaeque doctrinae cohaerentia ponitur, Melanchthon vere eruditi vereque academici viri exemplum semper iudicabitur. Nemo forsitan postea praeter Leibnitium (hac quidem re eius non dissimilem) exstitit, qui ingenium, ad permetienda tanta tamque varia vitae ac scientiae spatia natum, ad eandem quasi omnium virium motuumque congruentiam excoluerit. Haec interior pulchritudo etiam ex illa totius doctrinarum artiumque chori effigie relucet, quam Melanchthonem mente sua conformasse vidimus. Quare si quis ad eam contemplandam animum bene constitutum et candido veri pulchrique amore ornatum attulerit, spero fore ut ipsum Melanchthonem diligat et libentissime ea sibi verba assumat, quibus illum ex hac terrestri vita evocatum Francogallus quidam poeta prosecutus est:

Carum o bonis cunctis caput!

Bonnae, formis Caroli Georgi.